SYLVA HERCYNIA,
SIVE CATALOGVS PLANTARVM SPONTE NASCENTIVM IN MONTIBVS, ET LOCIS VICINIS HERcyniæ, quæ respicit Saxoniam, conscriptus singulari studio,

A

IOANNE THALIO MEDICO
Northusano.

Nunc primum in lucem edita.



FRANCOFVRTI AD MOENVM.

M. D. LXXXVIII.

ЦАРСКА БИБЛИОТЕКА ОТДЕЛ I. МЕЧНИКОВА

IOHANNES THALIVS
IOACHIMO CAMERARIO
M. Salutem.

HARCYNIAM *syluam, si quis, excellentissime Camerari, integre describere velit, illum necesse foret non perfunctoriam aliquam moliri descriptionem, sed* ὡς ἀκεφάλατα *singula quæq;, quæ ad eam rem necessario pertinere viderentur, prosequi. Eiusmodi autem argumenti tractatio paucioribus pagellis absolui non admodum prompte, meo quidem iudicio, posset: Sed in mediocre volumen totum opus facilime excrescere necessum foret, quod in aliquot libros ordine esset distribuendum. Primum namq; indicandum esset, quæ olim veteris illius Harcyniæ syluæ fuerit amplitudo, quiq; fines eius, Deinde opus esset diligenti labore multas antiquitatum historias aliquem euoluisse, quo indicari queat, quibus temporibus variæ populorum Germanicorum migrationes contigerint, eorum nimirū, qui prope syluam illā proximè hinc inde olim consederint: quæ adhæc mutationes illorum acciderint: quomodo quidam omnino desierint, quidam vero alij in priorum locum ipsis vel deletis vel pulsis aut subactis, successerint: quomodo item succedentibus temporibus quædam Harcyniæ partes varijs passim in locis eradicari cœperint, & in agros ac habitabilia loca conuerti. Hisce autem omnibus ita ordine absolutis, tum demum foret nostræ Harciniæ, quam aliqui Piceariam syluam, Germanicam denominationem, Hartzwald exprimentes, vocant, inter Saxoniam ac Thuringiam videlicet sitæ, singularis historia aggredienda & indicandum quanta ipsa hodie veteris illius ac propriè dictæ Harciniæ esset pars: quæ deinde longitudo ac latitudo ipsius: quæ gentes ipsam versus meridiem, quæ versus septentrionem cæteráſq; partes accolant inhabitentq;. Hinc rursus recensendum, qui sub ipsa nostris temporibus contineantur principatus, qui comitatus,*

mitatus, quæ ſingularũ familiarũ origines, quæq; inſigniora & maxime memorabilia geſta, quæq; vrbes celebriores ac monaſteria, aliaq; loca, quæ item rudera deſtructarũ arciũ ac antiquitatis monumẽta. Inde porro enumerandum, quæ celebriora flumina huius ſint ſyluulæ, quæq; ſingulorum ſcaturigines, quæ qualitates & contenta in fundo vnius cuiuslibet: & quot eximiores lacus, quæ piſcium ac aquatilium animantium in ijſdem genera habeantur, eorumq; quæ ſint naturæ ac proprietates, & partium quarundam illorũ in medicina vſus. Item qualia animantium etiam quadrupedum ac volucrum in eadem ſylua reperiantur genera, qualia deniq; inſectorum tam reptilium quam volatilium. Deinde vlterius cõſiderandum eſſet, quot metallorum, foſſilium ac ſimilium rerum in ea inueniantur genera, quæ ipſorum ſit ratio, quæ natura. Hæc omnia poſteaquam quis dextre pertractaſſet, tandem arborum ac ſtirpium hiſtoria ſeſe enarranda offerret. Quæ itidem abſoluta, vltimo loco vicinorum montium Harcyniæ huic noſtræ adiacentium ac in propinquo ſitorum eſſet inſtituenda deſcriptio & oſtendendum, quicquid in ijs ſtirpium contineatur. Iſta autem omnia multum proculdubio temporis ſibi eſſent poſtulatura, præterquã quod variarum rerum nõ vulgarem cognitionem etiam requirant, & adhæc eiuſmodi hominem qui rerum iſtarum gnarus tali etiam præditus ſit ingenio taliq; eruditione, vt pro dignitate iſtiuſmodi Harcynicam hiſtoriam poſteritati recte condere poſſit.

Hic autem ego, doctiſſime Camerari, ſicut aliquoties à me petijſti, nudum ſolummodo arborum ac ſtirpium, quæ in hac Harcynia noſtra Saxonothuringica (vt eam nominare libet) naſci ſolent, Catalogum ſecundum Alphabeti ſeriem recenſebo. Qua in re optarem ſane, me expectationi tuæ ſatisfacere poſſe. Præter ea autem quæ in hoc Catalogo, ſicuti à me obſeruata ſunt aliquot annis, enumerantur, non negarim, multo plura ac etiam rariora in ſylua iſta poſſe reperiri, quæ tamen omnia indagare non eſt neq; vnius hominis neq; etiam vnius temporis labor.

Harcynia

HARCYNIA SAXONOTHVRINGICA,

SIVE

CATALOGVS BREVEM ARBORVM, FRVticum ac ſtirpium plerarumq; Harcyniæ, enumerationem continens.

A.

ADIANTVM PVLCERRIMVM Lugdunẽſi ſimile, cui folia à tergo lanugine eiuſmodi denſa, puluerulenta ac pene rubente ex fuſcedine quadam, exornantur, quaſi folia Cetarach ſeu Scolopendrij veri prædita ſunt. Folia autem illa ſunt in brachiatis coliculis ex nigro rubentibus ac flexilibus, inciſa, crenata non ita latis aliquantulum particulis conſtantia, vt in Lugdunenſi, ſed tenuioribus, oblongioribuſque & mucronatis. Ipſe id nõdum reperi, ſed habeo in libro quodam cartæ agglutinatum, nactus ante aliquot annos in Pharmacopolio Northuſano, quo afferebatur ex Harcynia à vetula quadam herbaria.

Adiantum candidum, in antiquis mutis, id eſt, Ruta muralis, Maurrauten.

Adiantum ἄφυλλον, id eſt, Widerthon / ſeu Jungfrauwen Haar / maius, medium & minus, tãtum magnitudine ac teneritudine differentia.

Adiantum ἀμφίσχιζον, ſeu furcatum, paſſim in ſcopulis aridioribus.

Argentilla maior, ſeu *Vlmaria*, Aegopogon Tragi, Wald Geißbardt / Vbiuis locis vdis (intelligo autem quæ apud Tragum

ſecunda ſpecies & Cordo Medeſuſium eſt, Germanis Medeſüß.) Huic aliquãdo veris initio prope Vuernigerodam loco irriguo reperi conſimilem plantam, folijs minoribus ac elegantioribus, quæ nõdum in caulem creuerat. Sed hactenus nuſquam, etiã ſedulo inquirenti ea ſeſe denuo obtulit.

Androſæmon.

Aſcyron.

Atractylis ſylueſtris ſeu Cnici ſylueſtris ſpecies, procerior videlicet, quæ & aliàs vbiq; pene vulgaris eſt: & altera pumila, quæ locis montanis, aridioribuſq; reperitur, priori rarior.

Abſinthium noſtrum ruſticum iuxta loca habitata.

Artemiſia vulgaris, candida & rubra, paſſim circa vrbes, arces, pagos, ac in quibuſdam conuallibus ac montibus etiam.

Artemiſia tenuifolia, ſed nõ Dioſc. folia videlicet habens multa, ſtricta, oblõga, tenuia, cauliculos cubitales, multos, flexiles, teretes tenueſque, flores & fructum artemiſiæ, radices ſeſquipedales, diuiſas, quandoq; digiti craſſitudine. Duplex, ſicut vera artemiſia & hæc eſt: namq; alteri coliculi ſunt albentes magis, alteri vero rubentes.

Artemiſia πολύκλωνος Dodonæi, *ſeu Flos Iacobæus*, paſſim.

Acer maior.

Acer tenuifolia.

Althæa vulgaris, circa Vuernigerodam.

Alcæa tenuifolia Cordi, Stolbergæ ad radices Aurbergi, & in ipſo etiam Aurbergo, alijſq; præterea circa Stolbergam locis.

Arundo vallatoria, in piſcinis.

Angelica ſylueſtris, paſſim in locis vliginoſis & iuxta flumina, item in montibus opacis & humectis.

Angelica erratica, id eſt, Gierſa ſeu Strentzel/ vbique.

Aizoon ſeu Semperuiuum maius, in antiquis quibuſdam muris ac maceriebus ex argilla conſtructis.

Aizoon

Aizoon medium, folijs multis, vnciali longitudine acuminatis teretibus, ſtrictis. Hæc eſt maior in hoc genere ſpecies.

Aizoi minoris ſpecies, quam Hünerbeer vocant, prædicto quidem ſimilis (cuius altera ipſum ſpecies eſt) ſed folijs ac cauliculis breuioribus.

Aizoon minus ſeu Vermicularis inſipida, & alterum quod feruidi eſt guſtus, ſed infrequentius. Sæpe tamen vtrunque vno eodemque loco natum vidi.

Aizoon ſerratum Cordi, ſeu Craſſula ſerrata, Rarior eſt.

Anblatum Cordi, ſeu Dentaria maior. Copioſiſſime habetur veris initio Stolbergæ, Eſt de genere Orobanches.

Eius alia ſpecies minor ac tenerior, candida tota. Sed hęc rarius reperitur ac potiſſimum æſtate.

Aconitum cæruleum, ſeu Napellus, cũ cæſijs muſcis, quæ ex eius floribus viuunt, vt ſtudioſe etiam Angli obſeruarunt.

Aconitum Lycoctonon luteum, in montibus cæduis, præſertim vbi graminum maxima eſt luxuries, Stolbergæ, Ilfeldæ, &c.

Aconitum tertium Matthioli. flore Ranunculi luteo, magno. Sed infrequentius hoc eſt.

Alectorolophus Dodonæi prima ſeu fiſtularia, Braun Rodel/ vltra Vualckenridam.

Aſtragalus ſyluaticus. Vbique ferè. * Ita vero nominat plantam in frutetis Thuringiæ & Franconiæ quoque non infrequentem, vulgo Chriſtianwurtz/ alijs Cicer montanum nuncupatum, radicibus nodoſis fuſcis, duris, multipliciter ſerpentibus, floribus purpureis, & ſiliquis initio purpuraſcentibus anguſtis, per maturitatem pallentibus, in quibus ſemina vitiæ, paulo tamen minora, colore cæſia. Deſcribitur à Cordo, ſed à nullo quod ſciam depingitur. *

Aſtragalus Aruenſis ſeu Chamabalanus, in agris montanis circa Vuernigerodam.

Atriplex

Atriplex fimetaria maior, passim ad loca culta. Item minor. Item alia grandior, caulibus bicubitalibus, folijs mucronatis, quadrantem longis, sextantem latis, squallidis.

Apium petræum seu Saxatile. Plantula palmaris, radice candida, Petrosilini vulgaris, tenui. Folijs eiusdem, sed tenuioribus, paucioribusq;. Vnicam ante triennium hîc Stolbergæ reperi inhærentem rimis saxorum.

Apium syluaticum, caule cubitali ac maiori quandoq;, striato, læui, folijs ad radicis caput in terra dispersis, quæ adhærent, (veluti costis quibusdam) pediculis oblongis, imbricatisq;. Foliolorum semper bina ex aduerso sibi respondent, dentata, subnigrantia, læuia, splendentia, oblonga: quibus subinde minora redduntur ea, quæ ex caulis ac brachiorum ipsius geniculis prodeunt. Vmbellas paruas minutissimis floscu-
lis candidis explicat, quos subsequitur semen apio maius duplo, acre. Radice nititur crassa, candidiore, acris ac feruentis gustus. Aliqui maiorē pimpinellam vocant, sed mea pimpinella maior alia ab hac est, vt infra dicetur. Laurētius Hiel, excellentissimus medicus & anatomicus insignis, præceptor olim meus, hāc mihi exhibebat pro Dauco σελινοειδεῖ Cordi, sed pro Selinoide illo Dauco apud Cordum ex Trago Pimpinella vulgaris seu minor depingitur (sicut & Angli sentiunt in Indice sui operis eandem Pimpinellam esse Daucum illum) quā etiam describere Cordum ipsum præcipuæ notæ ostendunt, quod scilicet eius folia non sint ita splendida & glabra vt in apio, quodq; in campestribus stirps illa proueniat. Hoc vero nostrum apij genus nusquam in campestribus reperitur, sed potius in syluis opacis, lociśq ue paulo humentioribus, suntq; ei folia splendentia & glabra. Vbi tamen Cordus postea Daucoides maius describit, eiusque folia cum latifolio seu Selinoide Dauco confert, videtur

tur ad hanc nostrā stirpem respicere: eius etenim folijs Daucoidis illius folia similiora esse, quoad formam, quam istius pimpinellæ facile deprehēdere est diligentius ista perquirenti, quia eodē modo in acutum mucronem dicti Cordi Dauci folia finiuntur, atq; in hoc apio syluatico, quod perinde in Pimpinella non accidit. Et fortasse Cordus duplicem habuit Daucum σελινοειδῆ: alterum quippe latifolium, qui videtur hoc Apium syluaticum esse, & alterum tenuifolium, quæ erit vulgaris illa Pimpinella.

Apium cicutarium. Vulgo à folijs splendentibus Petroselino nostrati æmulis Gleiß vocant, circa loca culta & in hortis.

Anchusa syluestris, quam quidam Bugloſſon syluestre vocant, Matth. Echion. In agris & circa loca culta, iuxta vias, locis item cæduis montium & apricis.

Anchusa aruensis alba. Flore nempe albo, in agris passim obuia. Gesnero Echion minus, in appendice stirpium pag. 291. Trago Lithospermon syluestre. Ego Anchusis annumero, quod radix ei Anchusæ modo rubeat. Non tamen multum refert, siue pro Echij siue pro Anchusæ specie habeatur.

Antirrhinon Tragi, circa Vuernigerodam.

Antirrhinon rubrum aruense. In agris.

Antirrhinon minimū. Reperitur locis cultis aut ligone subactis. Dodonæo Phyteuma Dioscoridis existimatur esse. Plantula est palmaris, plerunque brachiata, folijs multis, tenuibus oblongiusculis, floribus paruis, albirubris, capitulo antirrhini paruo. * Dodonæus rubrum aruense potius pro Phyteumate habere videtur. *

Allium syluestre vulgare seu Caninum.

Allium syluestre minimum. Vere primo prosilit copiose.

Allium vrsinum, aliquibus Ophioscorodon, Dodonæo Ampeloprasum, Gesnero Allium syluestre. In hort. Germaniæ Ramsern/circa Ilfeldam.

Aparine àspera, passim.
Aparine lævis, sæpe obuia.
Aparine lævis palustris, in fossis stagnantibus & piscinis.
Arthetica Saxonum. Locis nascitur pratensibus & collibus apricis, meridiem spectantibus. Habetur quibusdam Stæbes loco. Radice constat oblonga, tenui, interdum simplici, interdum bifida trifidaue, transuersa vt plurimum, forinsecus nigra, fibrosa: ex qua coliculi prosiliunt reclinati, plures, palmares, teretes rubentes: folia circa radices plurima oblonga, carnosa exeunt, superne lævia, inferne molli lanugine hispida: quorũ singulum pediculo peculiari adhæret: Suntque hęc ferme trifolio, folio oblongo & acuto prædito similia, quamuis in eiusmodi mucronem non desinant: horum inferiora sub se in pediculorum inferiore parte lacinias tanquam à reliqua sui parte auulsas continent: in summo coliculorum capita constituuntur compacta ex multis vesiculis candidis, è quibus exerũtur flosculi trifolij marini, nisi quòd breuiores sint, aut meliloti pentaphylli: in quolibet vtriculo paruę siliculæ restant, semen vnicum cõtinentes, aliquantulum rubens. [Anthyllis leguminosa Dodonæi & Lobelij.]
Aster Atticus cæruleus, paucis tamen in locis.
Alsine maxima, cubitalis sæpe, ampliorue, foliis magnis, longis quadrantalibus ferè, sesquntiali interdum latitudine, flore candido, fructu nigro, baccæ instar intus semina sua copiose concludente ex saturato nigro purpurascentia. [Alsine repens Clusij.]
Alsine media, cui ferme maximæ folia esse cõspiciuntur, lata oblonga, mucronata, paulo breuiora, fructus quoque nõ idem, sed minor. Prioris altitudinem non assequitur, nec ita amplexi caulis est. Poterit aquatica dici, quia scilicet riuulorum marginibus ac locis vliginosis, opacis & humectis gaudet.

Alsine

Alsine minor, foliis tenuibus, oblongis subincanis.
Alsine minor, foliolis oblongis, mucronatis, tenuibus, caulículos frequentibus geniculis interstinctos habens, palmares, quam inde πολύκνημον Alsinen voco.
Alsines minoris aliæ tres species communiores: quarum prima vbiuis frequentissima folia obtinet cæteris huius generis latiora, rotundiora, maiora, vncialia, in paruum obtusum mucronem terminata. Altera mediæ magnitudinis folia continet, oblongiora & mucronata euidenter. Tertia minimis prędita foliolis, subrotundiusculis ac in mucronẽ excrescentibus.
Alsines minoris alia species, foliola edens rotunda, sed diuersæ inuicem magnitudinis, ita vt maiora foliola per totos coliculos, minimis subinde intercurrentur.
Alsines minimæ aliquot aliæ species. Prima suffruticis instar est, & producit foliola parua, mucronata, in cauliculis ex vna radice emergentibus, plurimis, brachiatis, & sibi inuicem varie, instar auium nidi, implexis, in quorum cacumine se exerunt capitula rotunda, lini capitulis ferme assimilia, sed minora. Altera iam dictæ assimilis prorsus, sed coliculis non ita varie implexis. Tertia eadem est cum priori, solummodo teneritudine coliculorum, foliorum, flosculorum ac capitulorum, horumque omnium paucitate differens. Singulæ enim fermè in hac specie exiguæ, tenues admodum & superuacuæ radiculæ, singulos, tenuissimos, teneros rectosq; proferunt coliculos, foliis minoribus paulo, paucioribusq; ornatos.
Alsine minor, passim vulgaris, alia, foliolis oblongiusculis (non rotundis) mucronatis ex coliculo tenui singulariq́ue rarius prodeuntibus. Huius & altera species est, in qua folia multo longiora cernuntur.
Alsines minoris adhuc alia species, angustifolia, foliolis oblongiusculis, plurimis, tenuibus: coliculis ex vno cespite pluribus

emergentibus, geniculatis: floſculis paruis candidulis. Reperitur locis aſperis ſecus vias, in montibus item apricis aſperiſq́; & potiſſimum circa officinas metallicas, ad aceruos recrementorum metallicorum.

Alſine hiſpida, paſſim, locis præſertim paulo humidioribus. Eius tres ſpecies diligentius rem cõtemplanti inibi deprehendere licuit. Prima folia continet minore hirſutie donata. Eſt vero hæc ea, quam Dodonæus auriculæ muris loco nobis exhibuit. Altera ſpecies folia ſortitur piloſiora, quamuis hæc differentia inter vtranq; ſit exigua admodum. Tertia iam dictis aſſimilis eſt, ſed omnia minora multo habet, ita vt Alſine hiſpida minuta mihi dicatur.

Cæterum harum omnium Alſinarum genera ac ſpecies plurimæ aliàs etiam facile quouis loco extra Harcyniam haberi poſſunt.

Alliaria, paſſim. Reperitur aliquando folio ampliſſimo latiſſimoq́;, dodrantem videlicet longo & lato.

Arum.

Arum aliud folio admodum lato, trientem fere.

Arum rurſus aliud, folio maculato, lato & ipſo, ſed non adeo vt in priori, verum vix quadrantem æquante.

Ariſarum, aliquando reperi in Hertzbergo mõte iuxta Ilfeldam ante annos aliquot, ſed hactenus idipſum amplius ſe mihi nunquam obtulit, niſi nuper Stolbergæ. Diuerſum hoc eſt ab illis Ariſari ſpeciebus, quas Matthiolus exhibet. Folia enim ex ſingulis paruulis & oblongiuſculis fibratiſq́; radiculis prodibant ſingula, non admodum acuminata, ſed rotundioris ferme figuræ, licet nonnihil longius paulo protraherentur, firmata pediculis palmaribus.

Amellus Vergilij putatus nonnullis, ſeu Butomon Conſtantini, aut Caltha paluſtris Geſneri. Paſſim in vliginibus. [Matthiolo Tuſſilaginis ſpecies.]

Arctium,

Arctium, Perſonata, Lappa maior, frequens potiſſimum circa loca habitata.

Aliſma κοτρυῶδες ſeu racemoſum, ſeſquidodrantalis eſt planta, caule geniculis diſcreto, ex quibus continuo ordine folia ſua exerit, Plantaginem maiorem fere imitantia, ſextantem lõga, ſeſcuntiam lata: flores vero racematim quaſi in longo recuruoq́; ſcapo dependent plurimi, rubicundi. Frequens eſt multis in locis, opacis tamen & montium iugis. Idem flore candido ſed infrequentius, nonnunquam conſpicitur.

Aliſmatis aliud genus, folijs cum iam dicto ijſdem, flore in ſummitate caulis ſeſquidodrantalis candido, cauo, cymbalari, in extremis ſuis labris parum diſſecto ſimili quodammodo floribus Leucoij bulboſi Theophraſti, vt plurimum vnico: aliquando tamen & plures profert. Huius ſpeciei plantulam aliquot ab hinc annis, loco vliginoſo ad radices Broccenbergi reperi, folijs prorſus candidis, quod fortaſſis ratione ſolis acciderat, vtpote cum ipſius radijs ibi feriri & maturari perfecte ipſi non daretur. Poterit autem à floris figura Aliſma κυμβαλιάνθεμον appellari.

Aliſmatis huius generis alia rurſus ſpecies, folijs nonnihil ſtrictioribus, longioribus & in oblongum mucronem deſinentibus, quæ nonnihil ad figuram acutæ Plantaginis accedunt, floribus iam proximæ dictæ ſpeciei ijsdem, candidis, ſed in lacinias maiores diſſectis euidẽter. Hæc duplex eſt: maior, cui ampliora, longioraq; ſunt omnia, folia ſcilicet & caulis: ac minor, cui omnia ſunt minora contractioraq;: quæ propterea in hoc genere aliſmatis tenuifoliæ nomine cenſeri poterit. Hæc porro tenuifolia ſpecies non ſolum candido ſed & rubro flore, licet infrequentius, interdum reperitur.

Aliſma porro & illud, quod florem cauum ouali figura propendentem ex caule recuruo ſeſquidodrantali profert (vnde poterit Aliſma ὠάνθεμον dici aut κοιλάνθεμον) quodq; ab Amato pro

Lonchitide prima exhibetur, puto in Harcynicis iugis quoq; reperiri, quamuis nondum, quod sciam, in illis mihi sese obtulerit, licet in vicinis saltibus Franckenhusanis (qui & nostræ Harcyniæ pars seu ἀποῤῥῶξ quædam sunt) non sit infrequens.

Alisma Alpinum, Caltha Alpina Gesnerij. Ciet hæc sternutamẽta. Conyzæ forte annumeranda est. Nascitur in Broccenbergo, item circa Vuernigerodam locis vliginosis, & in quibusdam pratis vdis non procul à Stolberga.

Anagallis aquatica. **Bachpungen** / passim in locis vliginosis ac scaturiginibus.

Anagallis aquatica folio maximo, trientem nonnunquam longo ac sextantem lato.

Anagallis terrestris mas & fœmina, quarum altera puniceo, altera cæruleo flore constat. in locis fossione excultis & in agris.

Anagallis lutea, folijs numulariæ, adeo vt facile pro eadem à non perito rei herbariæ haberi posset. Frequens in vliginibus circa Broccenbergam.

Alchimilla, passim.

Asaron, passim.

Arachi primum genus Dodonæo, flore viciarum puniceo siliquis maioribus nigris. Est de genere viciarum sylvestrium, passim.

Arachi species altera Dodonæo.

Auena sylvestis seu nigra, cuius grana paulo longiora crassioraq; sunt auenæ satiuæ, ac ex rubro nigricantia. Est autem Aegylops seu festuca Pliniana apud Dodonæum.

Auena sterilis. Hæc Auenæ similis est & iamdictæ sylvestris breuiores profert folliculos, semina item minora. Est & ipsa festucæ species.

Abies.

Alnus.

Alnus nigra. **Spöcker** seu **Faulbaum**/ passim.

Alnus nigra pumila in Broccenbergi vertice.

Achillea copiose, Stolbergæ ad arcem.

Aquifolium. **Stechpalmen**. Narrarunt quidam spontaneam esse Harycniæ nostræ in montibus vltra Ilfenburgum monasterium. Sed eam ibi nondum vidi. Nec tamen omnia illa loca ibidem hactenus perreptare mihi licuit.

Αλσινάνθεμον. Ita licebit appellare plantulam, cuius semina anno superiore misi nomine ἀστεριανθέμου. Cum enim flos, quem plantula illa profert, exactius respondeat, vt nuperrime consideraui, Alsines floribus, potius inde denominabo (donec de eius aptiore nomenclatura melius aliquãdo edoctus fuero) quam à stellæ figura, quæ alijs quamplurimis florib. melius forte, quam huic, cõuenire poterit. Familiaris est Broccenbergo ac montibus vicinis vligine perpetua irriguis, cauliculo singulari, dodrantali quandoque, vt plurimum palmari, recto, tereti, tenui, inferna parte folijs ferè nudo, superna vero per ambitum ijs cincto, quinis, senis, septenis, octonisue, pyri ferme foliorum similitudine, sed non ita rotundis, oblongiusculis, sescuncialibus, teneribus, læuibus, viridibus, fibratis. Ex quorum medio pediculi tenues valde, quadrantali ferè longitudine exurgunt, in cacumine suo florem singulum singuli sustinentes lacteum, Alsinæ similem: quem capitulum subsequitur rotũdum Coriandri semine minus, intus semina nigra, tenui candidaq; membrana inuoluta cõcludens. [Peculiaris quædam Pyrolæ species, quam in sylvis Franconiæ quoque & potissimum circa Greuenthalium obseruaui. Folia tamen Arbuti potius sunt quam Pyri.]

Anemone flore candido, amplo, folioso, caule palmari, folijs hispidis late expansis, varieq; dissectis. Broccenbergi cacumini familiaris.

Anemones species illa, quam Pulsatillam vocant. In promontorijs

torijs quibuſdam apricis & meridiei expoſitis.

Aquilegia ſylueſtris, flore cæruleo ſimplici. Reperi hoc anno 1577. in prato quodam aprico non procul à Stolberga, aquilegiæ ſtirpem vnicam flore candido, nonnullis veluti literis cæruleis intercurſato: à qua tamen nō procul aberant Aquilegiæ flore cæruleo plures.

Anthylloides. Sic nomino herbam inter ſegetes, ſolo præcipue arido ac ſabuloſo (vt & quandoq; alijs itidem locis iſtiusmodi ariditate præditis) exilientem, radice ſuffultam tenui, candidula, lignoſa fibrataq;: ex qua coliculi proſiliunt tenues, plurimi, procumbentes, frequentibus geniculis intercepti, quæ ambiunt foliola tenuia, oblonga, herbæ Kali ſatiuæ folijs ſimilia ſed minora, anguſtioraq; . Floſculi ei in ſingulis pediculis ſinguli, parui, candidi, prominent, quos capitulū lini ferè, ſubſequitur, ſeminibus plurimis nigricātibus papaueris ferè, ſcabrisq; refertum. Duplex hæc eſt, maior & minor. Minor autem paucioribus eſt coliculis & breuioribus, non ita prociduis. *occurrit etiam circa ſalinas ſaxonicas*.

B.

BRASSICA *ſylueſtris maior, latifolia*. Radicibus conſtat inutilibus, lignoſis, candidis: caule ſeſquipalmari, non admodum recto, rotundo, ſimplici, nonnunquam etiam brachiato, folijs mollibus, læuibus, ſubflauis, integris, ſine inciſuris aut ſinuoſis criſpaturis, mucronatis, duas vncias lōgis, vnciā latis. In ſummitate in exiguis pediculis racemus florum candidorum exiſtit, ex oblongis vaſculis Braſſicarum ſatiuarum modo prominentium, quibus deperditis ſiliquæ oblongæ pronaſcuntur, ſemina braſſicæ ſatiuæ minora continentes.

Braſſica ſylueſtris longifolia. Radice cōſtat parū lignoſa, fibris multis paruis circūdata, caule brachiato, ſeſquipedali, maioréue.

Folia

Folia primo prodeuntia, bina videlicet, trinaue, radici proxima, in ambitu circumroſa ſunt, veluti chōdrillacei generis folia, reliqua, quæ ſummum vſq; caulis numeroſè conſcendunt, ſtrictiora exiſtunt, magisq; mucronata, quam in priore ſpecie, quincunciali longitudine, vncialiq; ferme latitudine: licet ea quæ apicem caulis propius accedunt, continua ſerie breuiora reddantur. Sunt vero folia hæc omnia nigriora & ſqualidiora quam cæteris ſpeciebus. Flores, ſiliquæ & ſemina cum cæteris ſpeciebus conueniunt. [Huic ſimilis eſt ſi non eadē quæ in Thuringiæ ſaltibus locis æditis paſſim naſcitur, ab incolis Schoßkraut vocata, qua tamē voce alibi aliæ plantæ appellantur.]

Braſſica ſylueſtris procera. Hæc radice fulcitur multifida, candida, lignoſa, iuxta cuius caput in terra reclinantur folia quincunciali ſæpe longitudine, vnciali latitudine, hiſpida, integra. Caulem erigit vnicū plerunq; ſæpe etiam in duos treſue aut plures alios, iuxta radicem diuiſum, bicubitalem, rectum, teretem, flexibilem, iuxta radicem parum hiſpidum, deinde tota reliqua parte læuem, cui folia appenduntur ſextantali longitudine, vnciali latitudine, ſubcinerea læuia, non hiſpida, vt priora, mucronata: quibus ceſſantibus, poſtea longo ordine, caule videlicet ſubinde procerius excreſcēte, in ſingularibus exiguis pediculis floſculi paruuli, candiduli protenduntur, ijsq; euaneſcentibus ſubnaſcuntur ſiliquæ ad latera cōpreſſæ, tenues, digiti longitudine, quibus numeroſa ſemina paruaq; continentur. Ex foliorum autem ſingulis alis nō infrequenter noua adnata progrediuntur & ipſa copioſos flores ac ſiliquas proferentia. Naſcitur mōtibus apricis ac locis cæduis, eſtq; ſapore amaro.

Braſſica ſylueſtris folio betæ. Hanc licet in tota Harcynia nunquam conſpexerim: cum tamen braſſicarum ſylueſtrium aliquot ſpecierum me hic enumerationem inſtituere oportebat, &

C huius

huius obiter meminisse operæ precium duxi. Nascitur vero copiosè in Hainleitta sylua non procul à Sondershusio sub fagineto. Radice constat lignosa, multifida, fibrosaque, folia betæ, rotundiori ambitu in terræ superficie multa dispersa, instar, sextantalia, caules eriguntur teretes, sesquipedales, splendentes, fusci, pauca oblongiuscula ac mucronata folia continentes, floresque candidos proferentes, exiguos, sed siliquas longiores cæteris speciebus. [In aruis Thuringiæ non admodum diuersa nascitur, quæ cum Brassica campestri descripta à C. Clusio in Hispanicis obseruationibus planè congruit.]

Brassica sylvestris folijs membranaceis. Nec hanc in Harcynia me vidisse memini. Olim autem in Ienensibus montibus aliquoties eam obseruaui. Cæterum iam dictis minor est, radice parua, candida, superuacanea, caule breui, geniculato, qui densè ambitur suis folijs, quæ membranaceæ sunt substantiæ, subflaua, splendentia, læuia, vncias duas longa, vnam lata.

Brassica sylvestris media. Breuiora continet folia, numerosa circa radicem, vncialia, oblongiuscula, in obtusum mucronem finientia, mollia, semunciali latitudine: quæ cauli appendũtur dodrantali, ea parte qua adhærent vtrinq; velut alares pinnulas prominentes habent.

Brassica sylvestris minor, foliolis multo minoribus, canis, coliculis quadrantalibus, siliculis angustis paruisq;.

Branca Vrsina nostras seu Sphondylium. Vbiuis ferè.

Beta aquatica. Prouenit in alueolis fontium profluentium, solo pingui. Radicibus firmatur tenuibus, nigris, fibratis, densis in modum palustrium herbarum: ad quorum summum folia aliquot mediocriter ampla per terræ superficiem explicãtur, trientali longitudine, sextantali latitudine, crassa, nonnihil

nihil rubentia. Caules profert quadratos geniculatos, striatos, ex quorum singulis geniculis bina sibi inuicem alternis lateribus correspondentia folia emergunt, rotunda, carnosa, lata, betæ satiuæ folijs assimilia, rubicundis neruulis ac venulis ipsa perreptantibus.

Betonica, passim in pratis & pratensibus locis.

Bistorta maior. In Broccenbergo & vicinis montibus.

Bistorta minor. In pratis vdis.

Buglossa sylvestris nigra, florem nigrum obtinens, vulgaris *Buglossæ minorem:* iuxta semitas & in agrorum marginibus ac segetibus etiam. [In Thuringia eam obseruaui caule admodum crasso, cubitum vix alto.]

Buglossæ sylvestris species, caulibus procumbentibus multis, varie reflexis, distortisque striatis, scabris ac aparines modo vestibus adhærescentibus, folijs communis Buglossi ferè, longis, hirsutis, asperis, ac in ambitu exiguis spinulis horrentibus: Flosculis itidem Buglossi cõmunis, paruulis, cæruleis ex geniculis caulium intra foliorum alas prodeuntibus, quorum singulum subsequuntur semina quatuor simul cohærentia, similia ferè seminibus oleris spinachij, læuia, inclusa munimento bifoliato, scabro. Videtur fortassis illa esse Aparine Collinutij, cuius meminit Euricius Cordus in Botanologico, quæ videlicet sit folijs Mercurialis ferè (sicuti & huius plantæ nostræ folia Mercuriali fœminæ folijs aliquo modo conferri possent) & planta Lapparia, quæ à Plinio libro 22. cap. 17. recensetur Parthenij nomine. Ac licet semen non sit asperum retinaxq; (quæ nota ibi additur præcipue vt euidentissima) opinor illam asperitatem intelligendam esse nõ absolute de semine solũ & per se cõsiderato, verũ quatenus inuolucro suo aspero munitur. Locis reperitur apricis, asperis, iuxta ædificia, templa, arces, pagos, hortos. Est & alias extra

Harcyniam vbiuis ferè ad ſepes ſpontanea: item inter vepres facile reperitur & iuxta macerias. [Alyſſum Echiodes Lobelij.]

Bryonia alba ad ſepes hortorum.

Betula arbor, paſſim.

Betula pumila, in Broccenbergo.

Blitum ſylueſtre maius, maioribus folijs conſtans, ſextantali longitudine & minus, minoribus folijs, vtpote vncialibus ac coliculis plurimis procumbentibus paſſim reperitur.

Burſa paſtoris, folijs maioribus, latioribus, quorum quæ terræ viciniora ſunt, in ambitu profunde inciduntur.

Burſa paſtoris minor, folijs inciſis & minor altera, folijs integris.

Bromus herba. Graminei generis eſt, inter ſegetes & locis aridis iuxta ſemitas.

Boleti Ceruini orbiculati. Reperiuntur locis illis, vbi cerui libidinem ſuam exercuerunt, item in carbonariorum areis.

C.

CONYZA AQVATICA, in piſcinis & vliginibus maxime circa loca habitabilia frequens, folijs lõgis, quadrantalibus, carnoſis, pinguibus, ſeſcuntiali latitudine, caulibus craſſis, cubitalibus anguloſis: flore chryſanthemi, in pappos tandem abeunte. Duplici autem eſt in differentia: Alterius enim ſpeciei folia ſunt integra & latiora, alterius paulo ſtrictiora & profundius in ambitu crenata.

Conyza maior montana, in montibus apricis, ſoli meridionali & orientali obiectis, potiſſ. circa Gerenrodam & circa Stolbergam: caulibus dodrantalibus, folijs mucronatis, ſextantem longis, ſeſcuntiam latis, nigricantibus, flore luteo.

Conyza

Conyza maior altera, paulo procerior priore, folijs longioribus, quadrantalibus nempe, flore tamen minore aliquantulum.

Conyza minima, ad loca irrigua circa vrbes, prædia & pagos, caulibus dodrantalibus, folijs mucronatis, paruis, ſtrictioribus, floribus luteis Chamemæli ferè.

Conyza helenitis Cordi, paſſim.

Conyzæ genus quoddam tenuifolium, caulibus ex vna radice proſilientibus plurimis, bicubitalibus, teretibus, ſtriatis, hiſpidis, qui folijs ambiuntur ab vna radice vſque in apicem oblongis, ſed anguſtioribus, hiſpidis. Floſculi in ſummis caulibus conſtituuntur parui, pappacei, floribus ſenecionis Dodonæi tertij fere ſimiles. Vidi olim in Ilfeldenſibus montibus.

Conyza aquatica maxima ſerratifolia. Radix ei eſt craſſa, multifida, caules bicubitales ſæpe, digiti ferè craſſitudine, caui, ſtriati, brachiati, folia trientalia in oblongum mucronem faſtigiata, ſerrata, inferne albentia, lanuginoſa; in ſummo caulium vmbella eſt ſparſa, flores Iacobeæ ſimiles continens luteos. Prouenit ad fluuiorum ripas in piſcinis.

Chondrillaceorum generis plantas plurimas in Harcynia paſſim, eaſque diuerſas admodum ſpecie reperire licet, quæ vix quiſquam facile & dextrè certis nominibus ac notis à ſe inuicem diſtinxerit: præſertim cum rei herbariæ ſcriptores intybaceorum ac chondrillaceorum (quorum tamen vbiuis fermè locorum ac terrarũ ingens copia ſeſe offert) hiſtoriam nondum accurate examinauerint, ſed tantummodo eam extremis quaſi digitis attigiſſe nonnunquam videantur: ea ſolummodo recenſentes quæ non multum difficultatis habent, illis interim neglectis, quæ abſolutiore deſcriptione vel maxime indigebant. De intybaceis autem quicquid in

Harcynia mihi visum fuerit, infra recensebo. Hic vero subnectam ea, quæ existimo ex chondrillaceorum genere vel magna ex parte esse vel eidem tamen affinia.

Chondrilla τραγοπωγωνάνθεμος (liceat mihi hanc sic à flore suo denominare) duplex Stolbergæ ac alibi etiam circa semitas visitur. Maior, cui folia sunt nigricantia palmari longitudine pauloque ampliori, latiuscula, auguloſa, quæ circa radicem constituuntur sena, septena, octona pluraq; quandoq; aut pauciora. Caules emittit ex vna radice plures, bicubitales, teretes, striatos, folijs fermè nudos, recuruos, in brachia plura diuisos, proferentes flores in oblongiore alabastro tragopogonis florum æmulos, luteos, postea in pappos dehiscentes, semine oblongo, scabro, subspadiceo, crista pilosa in summo prædito. Minor maiori prorsus similis est, nisi quod omnia minora breuioraq; obtineat. Estq; eius rursus alia species, cui folia magis in lacinias diuisa existunt.

Chondrillæ alia species foliis sesquiunciam latis, longioribusq;, in terræ superficie ad radicis summum dispersis, hirsutis, in ambitu laciniatis, caule cubitali, amplioreq; tereti, striato, recto, florem vnicum proferente, magnum luteum in alabastrino velut calyce detentum.

Chondrilla altera Matthioli in tenues lacinias profunde dissectis foliis, quæ circa radicem dispersuntur, caules exerit teretes, longos, flexibiles, cubitales, læues, proferentes flores luteos pappoſos. Est duarum specierũ quarũ altera maior est, quam iã descripsi: altera minor, omnia breuiora à natura sibi attributa habens, & coliculos recuruos palmares: hæc in pratis quibusdam reperitur.

Chondrillæ species radice candidula, exigua, parum fibrata: folia priora circa radicem dispergens, tria, quatuorue, oblonga ex tenui pediculo protensa, integra, non dissecta, paucis ac exiguis quasi spinulis in ambitu prædita: quibus superadduntur mox

mox alia tria, quatuor, quinaue, lõgiora, in lacinias (quæ tamẽ maiore interuallo à se inuicẽ dirimuntur, atque in altera Matthioli specie) diuisa, hæcq; rursus consimilia alia, sed breuiora, pauciora & aliquantulum tenuiora per caulem (qui oblique distorquetur ac teres quidem est sed euidenter striatus, cubitalis ferme) consequuntur: flores huic sunt lutei, parui. Reperitur in locis pratensibus montium.

Chondrilla altera Dodonæi, vulgo Deus Leonis dicta, Aphaca Theophrasti iuxta Matthiolum. Eius species aliquot reperiuntur passim. Maiori radix longior est & crassior: folia etiam humi procumbũt, longiora, dodrantalia, sextantali ferè latitudine: caulis itẽ altius assurgit, ac flos præterea aliquantulũ cæteris speciebus maior est. Media vbiuis vulgo circa semitas, in hortis item & circa loca habitabilia alias reperitur, folijs quadrantalibus, coliculis sesquipalmaribus. Minori folia plura dispersuntur confertim humi procumbentia, sibi inuicem implexa, minora, tenuioraq; cæteris, eodem tamen modo circumrosa: coliculos hæc etiam depromit breuiores tenuioresq;, palmares, flores item paulo minores.

Chondrillarum generis species quædam maior, caule procero, striato, bicubitali, qui in summo in aliquot brachia diuiditur, quorum quodlibet florem singularem profert, luteum Tragopogonis floris instar. Folia caulis exerit pauca longo interuallo se consequentia, longa, lata: quorum inferiora in ambitu parum subinde excinduntur, superiora vero profundius circumroduntur, infrequentius tamẽ, quam id in Chõdrilla secunda Dodonæi accidit.

Huius reperitur & alia species, flore consimili, caule item, sed foliis destituto: ea vero pauciora numero humi recumbunt, quorum prima lata quidem aliquantulũ sunt, sed subrotundiora, reliqua longiora conspiciuntur, ac in ambitu circumrosa, sed non profunde, nec admodum crebro.

Huius

Huius generis & minor reperire datur ſpecies, radice parua, lignoſa, fibris paucis conſtante: caule vnico, recto, cubitali ac aliquantulũ proceriori, tereti, tenui, læui, folijs carente, quæ ſolũmodo humi reclinantur, numero ſex, ſeptem, octo, nouem, decem, pauloq; plura quandoq; quadrantalia, in ambitu circumroſa modice. Florẽ itidem hæc Tragopogonis æmulum profert & vnicum.

Chõdrillæ alia ſpecies, paulo ab hinc iam dictæ minoris (huius ſcilicet generis) ſpeciei ferme æmula: radice parua, fibrata, nigricante: caule craſſo, ſtriato, parum hiſpido, nodis multis prædito, ex quibus emergunt folia oblongiora, viridiora, circũroſa aliquantulum, ſcabra, hirſuto dorſo prædita.

Chondrillæ ſpecies caule cubitali, aſpero, ſtriato: folijs quadrantali longitudine, humi ſparſis, quaternis, quinis, ſenis ſeptenisue, in ambitu circumroſis modice: ijs vero, quæ caulẽ conſcendũt, exciſis ita vt in ambitu euidenter laciniæ inde relinquantur: floribus paruis pappaceis, agminatim in ſummo caulis conſtitutis, quorum ſingulus peculiari petiolo innititur.

Chondrillæ cuiuſdam minoris ſpecies, radice ſingulari, quandoq; & bifida, mediocriter craſſa, digiti parui longitudine, fibrata, nigra: folia exerit parua, leuia, carnoſa, oblõgiuſcula, integra, recurua, anguſta, in dorſo rubẽtia, numero quaterna, quina, ſena, ſeptena, octona etiam quandoq;. Coliculum producit incuruum, rubicundum, digiti minoris longitudine, vnico donatum flore luteo, tragopogonis ferme alicuius modo. In pratis pinguioribus naſcitur.

Chondrillæ paruæ ſpecies, radice parua, fibrata, ex nigro ſubrubẽte, folijs quadrantali longitudine, humi procumbentibus, aſperis, mediocriter latis, viridibus, confractu facilibus, ſenis vel ſeptenis, nonnunquam octonis: caule palmari, pauloue longiore, tenui, tereti, aſpero, modice cacumen recuruante, folijs

folijs prorſus deſtituto: flore ſingulari, ſimili Chõdrillæ Dodonæi alterius.

Chondrillæ ſpecies radice vel ſingulari, vel bifida, multifidáue quandoque, candida, lignoſa: caulibus cubitalibus bicubitalibuſque, brachiatis, ſtriatis: folijs longis, læuibus, quorum, quæ humi procumbunt, leniter circumroduntur, reliqua in caule profundius laciniantur: floribus paruis luteis, agminatim diſpoſitis, ſingulis tamen ſingularibus petiolis inhærentibus, ac ad ſolem orientem ſe expandentibus, eoq; recedente labia contrahentibus. Hæc etiam extra Harcyniæ ſyluam agris conſitis ad ſemitas & margines familiaris eſt.

Chondrillæ vlterius alia ſpecies, radice candida, lignoſa, inutili: caule cubitali, minoreque vt plurimum, tenui, ſtriato, folijs donato paucis, viridibus, oblongiuſculis, mollibus, integris, in ambitu quaſi ſpinoſulis, flore luteo. In Stolbergenſibus apricis montibus.

Sed haſce Chondrillarum ſpecies ex ſolis nudiſq; deſcriptionib. non adhibitis iconibus diſcernere admodum erit operoſum.

Colchicum, paſſim in pratis. Reperitur locis ſeptentrionalibus, prope Ilſenburgum, flore etiam candido.

Chriſtophoriana, quam tonſores vocant Heydniſch Wundkraut/ locis opacis & humectis copioſa.

Caryophyllæa ſylueſtris, ſeu flos armerius Dodonæi ſylueſtris. Donnerneglin. Species ſunt eius hæ ſequentes.

Prima, quæ eſt communiſſima, flores in coliculis teretibus, rectis, geniculatis proferens, fimbriatos, coccinei ruboris.

Secunda, coliculo cõſtat proceriore, cubitali, varie incuruo, geniculato, brachiato, tenui, teretique, flore rubicundo, prædicto ſimilimo.

Tertia, radice lignoſa, folijs paulo latioribus, ſcabris, cau-

le rotũdo, cubitali, craſſiore quam in prioribus, geniculato: floribus rubentibus, paruis, quorum bini vel tres ſine petiolis ſibi quaſi contigui cohærent.

Quarta, radice firmatur tenui, lignoſa, candidula, coliculos proferente tenues, teretes, geniculatos, palmares, pauloque proceriores, emittentes ex ſingulis geniculis, folia bina, tenuia, ſtricta & parua. Capitulum gerit in ſummitate coliculi vniuſcuiuſque ſingulum, membraneum, flaueſcens, alabaſtri ferme in modum, compactile, leue, ſplendens, ex quo non vt in cæteris generibus vnicus flos emergit, ſed plures, ſemper poſt priorem emarceſcentem, nouo proſiliente, ita vt ex vno capitulo ſæpe ſeptem, octo item & quandoque nouem prorumpere conſpiciantur, ſingulo flore relinquente ſingulam oblongiuſculam ſiliculam, continentem ſemina parua, latiuſcula, nigricantia. Flos admodũ eſt exiguus, extra capitulũ parũ apertus prominens, coloris ex rubicũdo dilutioris. Gaudet apricis & aſperis. [Armerius ꝑlifer, Lobelij.]

Eſt & alia ſpecies iam dictæ ſimillima, niſi quod non plures ex capitulo floſculos exerat, ſed vnicum ex rubro pallidiorem.

Centaurium minus, paſſim flore ferrugineo: candido aliquando reperitur, ſed rarius, circa Vuernigerodam.

Centauroides, aut Centaurium maius ſyluestre Germanicum. Ita appello plantam, tota facie Centaurij maioris ſpeciem referentem, quã Tragus Schartam nominat. Kyberus vertit florem tinctorium. Huius quo ad folia, differẽtias aliquot obſeruaui. Prima folijs quotquot tota planta profert, conſtat omnibus longis, latis, ſerratis, integris, omni inciſura carentibus. Hanc in mõte Aethereo prope Vinariam flore candido reperi, quali tamẽ in Harcynia me nondũ videre memini. Secunda ſpecies folia continet diuerſa: eorum. n. quæ radicis capiti appenduntur ſuis pediculis, vnum, duo, tria, aliquando plura integra

integra ſunt tota circumferẽtia: reliqua & potiſſimũ ea, quæ cauli adhærẽt, profunde incidũtur aliquot diſſectionibus. In Tertia, natura varie ludit. Huic. n. primum foliũ radici inhærens, integrũ totũ eſt, reliqua omnia diſſecta ſunt. Hæc vero diſſectio folijs cõtingit vtroq; latere binis vt plurimũ inciſuris, ꝑfundis, raro trib. idq́; vel nõ in omni folij parte, ſed ea tã tũ, qua pediculus in foliũ expanditur, ſub initiũ videlicet folij, cætera omni parte folij integra exiſtente, lata, & vſq; in extremũ, in quẽ deſinit, mucronem cõtinua: vel in priorib. aliquot tantũmodo folijs iſta ratio ineſſe deꝑhenditur, reliquis interim omnib. quæ ſequũtur, & quib. caulis crebro obueſtitur, multo plurib. diſſectionib. per vniuerſam ſuam ſubſtantiam diremptis. Quarta ſpecies obtinet folia lata longaq́; vt priorum ſpecierũ, ſed vtroq; latere ab ima parte vſq; ad extremam omnia multis ꝑfundis ſemperq́; ſimilib. diuiſionib. diuulſa, modo pene eo, quo Chõdrillæ alteri⁹ folia dirimũtur.

Conſolida Sarracenica, vbiuis ſpontanea & copioſa. Cordus Serrifoliam appellauit. Reperitur multoties bicubitalem altitudinem ſuperare, foliaq́; obtinere latitudine trientali: Verum licet ſatis ſint longa ac dodrantem ſæpe excedant, tamen ab aliis ſpeciebus huius plantæ inſigniter diſcrepant, quod præſertim in orbicularem figuram, quæ aliquantum in mucronem protenditur, explicata conſpiciantur.

Huius reperitur alia ſpecies, folio non tam lato, nec ita orbiculari, ſed longitudini eandẽ ferè latitudinem, quæ ſextantalis eſt, obtinens.

Huius adhæc generis in monte quodã circa Ilfeldam monaſteriũ reperi ſpeciem aliam, caule craſſo, ſtriato, piloſo, bicubitali ferme, foliis pluri mis, nigris, mollib. parum piloſis, quadrantali longitudine, eademq́; latitudine. Flos autem, an ei idem ſit, qui prioribus ſpeciebus, nondum certo ſcio, nam tum, quando reperiebam, florum nihil exhibebat.

Chamædrys altera Matthioli seu fœmina, Sideritis Crateuę apud Tragum. In promontorijs quibusdam Harcyniæ soli meridiano oppositis, potissimum circa Gerenrodam.

Consolida maior, id est, Beinwell, passim in pratis. [Symphyton maius Dioscoridis.]

Consolida maior amplexicaulis, flore purpureo, olim mihi reperta est in prato quodam prope Ilfeldam.

Consolida media, passim se offert. Eius tamen aliquot obseruantur differētiæ. Maior flores profert cæruleos. Hæc duplex est, altera foliys donatur magis orbicularib. & paulo latioribus: altera longioribus, in ambitu frequenter incisis. Minor flores gignit rubicundiores, modice dilutos, cui omnia sunt teneriora & minora.

Consolida regalis, Flos regius Dodonæo & eidem Delphinium verum esse existimatur. Intra segetes, circa vias, iuxta oppida, villas & pagos.

Cardiaca, passim circa oppidula & pagos.

Camelina Dodonæi seu Myagron, in agris & circa loca habitabilia.

Carui, copiosissime in pratis Stolbergensibus.

Caryophyllata, seu Benedicta herba, flore aureo, passim in hortis, & circa loca habitabilia, ac etiam in montibus.

Caryophyllata maior seu purpurea: passim prouenit locis opacis & vliginosis, foliys grandiorib. ac nigriorib. radice crassiore, inodora, rubente, flore maiore ex puniceo nigricāte, cymbalari fere figura.

Cassutha, reperitur passim herbis adnata, potissimū Vrticæ maiori & trifolio corniculato minore, iuxta vias, ac in montib. cæduis, apricis.

Cruciata herniaria passim, Gallio cognata fermè herba, quā Tomo secundo Rembertus depinxit post Asperulam. Habetur admodum præstans in hernioſis rupturis solidandis.

Cruciata gentianella, Sperenstich, prope Vuernigerodam.

Cyanus

Cyanus aruensis cæruleus in agris.

Cyani syluestris seu Iaceæ nigræ variæ species hinc inde in Harcynia reperiūtur, quarū hic breuiter recēsebo, quotquot sese mihi in ea offerre memini, intermissis quæ alibi occurrere solent.

Cyanus syluestris montanus integrifolius, maximus in hoc genere, caule striato, angulo so, rubicundo parte inferiore, scabro & tenui lanugine obsito, bicubitali, quandoque altiori: foliys iuxta radicem in pediculis oblongis, dodrantalibus ferè, latitudine sæpe sextātali, incisuris aut crenis prorsus destitutis, mollibus & tamen scabris, albicantibus inferius, virentibus magis superius, figura ferè Cynogloſſi, vnde poterit *Cyanus syluestris* κυνογλωσσόφυλλος dici: Cætera folia, quibus per caulem plurimis donatur, subinde versus cacumen minorà redduntur, neq; longo pediculo appenduntur, sed alis suis ad exortum suum adhæresc unt. Caulis autem, qui inferiore parte qua crassissimus est, minimo digito tenuior existit, procerè ac recta assurgit, & in summo in aliquot brachiola tenuia, striata ac foliosa dirimitur, quorum quodlibet calicem profert satis grandem, suffuluum, rotundi capituli instar, multis squammis asperis compactum, quorum squammatorum corpusculorum singula apices habent oblongiusculas, lanuginosas, multifidas, fuluas, crispas plumularum quarundā elegantem imaginem referentes, quæ pulcro naturæ spectaculo sibi inuicem implicantur. Flos ex istiusmodi calice exeritur rubicundus, floribus cyani aruensis maior. Semina etiam cyani edit, licet maiora. Prouenit potissimum montibus apricis sole meridiano illustratis circa Stolbergam & alias etiam. Saporis est amari euidenter, ac diu in lingua perdurantis cum leui acredine, subtilitate quadam partiū linguam vellicante, vnde eam calidam & siccam in secundo gradu statuo. [Iacea Pannonica capitulo crispo Clusij.]

Cyanus syluestris maior aruensis, qui videlicet in aruis potissimum

& ſecus vias, in marginibus ac circa loca habitabilia reperitur, folijs latis, longis, nigris, hirſutis multis, varieq; diſſectis ac diuulſis, ita vt quaſi in plures coſtas ex aduerſo inuicem ſibi reſpondentes diuidātur: calice ſquāmis aſperis compacto, rotundo, florem rubicundum proferente. Matthiolus hanc ſcabioſam maiorem facit. Reperitur etiā, ſed infrequentius, folijs paucioribus, minoribus aliquantulum, & diſſectionibus paucioribus flore candido.

Cyanus ſylueſtris anguſtifolius, minoribus ac anguſtioribus folijs, ijsq; quandoq; integris, quandoq; diuiſis. Eius aliquot ſpecies ānotaui. Maior caulibus aſſurgit proceris, rectis, bicubitalibus, in ramoſa brachia mox ſupra radicem vſq; in ſummū cacumē digeſtis, folijs plurimis, aſperis, lanuginoſis, nigris ac ſquallidis obueſtitis: quorum quæ radici propinquiora ſunt, longitudine ac latitudine quadrantem excedunt, & vna atq; altera inciſura in ambitu leniter eroduntur: reliqua vero integriora ſunt & vix longitudine quadrantem aſſequuntur. Capitula profert cyani, rotunda, compactili ſquammarum compage efformata, ex quibus flores eius non admodū manifeſte explicantur. Minor folijs conſtat adhuc anguſtioribus, lanuginoſioribus, nec tā aſperis vt in priori, oblongis tamēn verſus ſuperiora reflexis, caliculo ſquammato, breuiore, qui & ipſe non euidenter, vt ſuperiores ſpecies, florem expandit.

Huius & alia ſpecies viſitur, cum iamdicta prorſus eadem, niſi quod prope radicem tria, paulo ue plura in oblongis pediculis exerat folia longa ac mediocriter lata.

Eſt porro Cyani ſylueſtris etiamnum alia ſpecies, quam Cyanum ſylueſtrem tenuifolium minimum nomino, ratione tenuitatis foliorū. Huic radix nigra eſt, mediocriter craſſa, paucis fibris prædita, ex qua exurgunt foliola numeroſa, ſcabra, nigra, oblonga, tenuia, multis inciſuris in anguſtas lacinias, quarum ſemper binæ ex vtroq; latere παραλλήλως ſibi correſpon-

reſpondent, Chondrillæ alicuius tenuifoliæ modo diuulſæ. Caules profert cubitales, prope radicē mediocriter craſſos, q ſubinde extenuātur, inſigniter ſcabris ſtriatos, folijs multis multifariam in tenues lacinias diſſectis præditos, quæ recto ordine, certoq; interuallo inuicem relicto caules cōſcendentia ipſos ambiunt, ſicq; continuo ordine vſq; in ſummū cacumen attenuātur. Caliculos exhibet exiguos, ſquāmatos. Non inelegans eſt planta. Inuenitur locis aſperis, ſed infrequentius. Eſt vero omnino minor ſpecies eius, quem ſupra cyani ſylueſtris maioris aruenſis nomine deſcripſi.

Clinopodium vtrunq; maius & minus. Sed hoc rarius reperitur, illud crebrius. Eſt Geſneri Pulegium petræum in hortis Germaniæ ac Dodonæi Ocimum ſylueſtre ſeu Acinos.

Clematis daphnoides ſeu Vinca Peruinca, in montibus Stolbergenſibus & circa Vuernigerodam.

Clematis tertia Matthioli, Copioſe circa Ilfeldam.

Cynogloſſum vulgare non floridum, & alterum caulеſcens ac floridum. Hoc olim flore candido ſed non in Harcynia vidi.

Cynogloſſum ſyluaticum Harcynicum, differens à prædicto. Conſtat hoc caule recto, cubito altiore, rotundo, ſtriato, rubēte, molli, candida lanugine obſito, qui in ſummo in tenues diuiditur brachiorum ἐκφύσεις, flores proferentes puniceos & ſemen echinatum aſperum vt in priore ſpecie. Folia circa radicem non ita copioſa ac amplа longaq; ſpargit, vt prius, ſed parum ibi foliorum obtinet: ea vero maxime profert caulem ambiētia, ſubrubētia ferme ex nigro, priori cynogloſſo multo minora, quadrantali lōgitudine, ſeſcūtiali ferè latitudine, inferiora parte parūlanuginoſa, mollia valde, ſed tamen aliquid ſcabritiei cōtinentia. Nuſquā alibi obſeruaui, præterquā ad radices montis cuiuſdam opaci ſupra Ilfeldam ac Beram fluuium.

Cerui-

Ceruicaria maxima folijs vrticæ maioris caule sæpe bicubitali, floribus in vno scapo plurimis calathi figura, magnis, cæruleis, quandoq; etiam albis.

Ceruicaria media. Hæc locis mõtanis & soli meridiano expositis nonnũquam prodit, caule tereti, aspero, folijs plurimis amicto, minoribus multo, viridioribus superius, inferius candidis, lanugine vestitis, quali folia Althææ, sicut & folia mediam figuram inter Vrticæ maioris breuiora folia & althææ referũt. Caulis vt plurimum vnicus est, sine ramosis adnatis, sæpenumero tamen in plures diuiditur brachiatas virgulas. Circa medium ferè caulis vbi maiora folia exoriri desinunt, frequẽtes περισφόσεις adnascuntur, ordine per certa interualla vsque in apicem caulis consequenter ac exalis peculiaribus ad latera erũpentes, tenuibus quibusdã foliolis ijsq; incrispatis parum ac agminatim denseq; sibi cohærentibus constitutæ, ex quibus longa serie in scapo flores crebri prodeunt eleganter cærulei similes prioribus sed multo minores.

Ceruicaria maior tenuifolia. Radice constat crassa, multifida, subrubente, ex qua prorumpit caulis subfuluus digitalis sæpissime crassitiei, cauus, striatus, hispidus, folijs circa radicẽ circũdatus plurimis, anchusæ aut echij folijs instar, nigris, asperis, hirsutis, palmari ferè longitudine, crassitie vnciali, quibus alia cõsimilia subsequũtur longo ordine vltra caulis mediũ, sed subinde minora. Flores non profert continua seu oblongiori serie per scapi summum veluti racematim propendentes, vt superiores species, sed agminatim in summo apice capitulo quodam in vnum collectos exerit, minores paulo, coloris ex cæruleo pallido subalbicantis. Non admodum frequens vbiuis hæc species est, sed mõtium quorundam iugis opacis aut humentibus aut aliàs tamen pinguiore solo reperitur, potissimum mõtibus quibusdam supra Ilfeldam [Trachelium θυρσοειδὲς Clusij.] Ceruicaria minor Dodonæi, passim locis

locis apricis, maxime auff der Langen / & circa Vuernigerodam.

Chelidonium maius, passim.

Chelidonium minus, passim.

Chelidonia capnitis quorundam, seu Fumaria altera Matthioli, Radix nostra caua, duplex: altera est radice integra, altera foramine inferius pertusa & excauata: flore item aut puniceo, aut candido. Estq; eadem porro vel maior vel minor, quarum huic angustiora sunt folia, vnde & angustifolia dici possit: Illi vero paulo latiora. passim prouenit.

Chamæmespilus Cordi: in montibus Gerenrodæ vicinis.

Crassula maior, passim.

Chamænerion Gesneri, flore purpureo: passim. Item flore cãdido, sed non adeo crebro, circa Stolbergam. Assurgit autem sæpe in altitudinem quatuor cubitorum.

Chamæmelon, in agris & circa loca culta.

Chamæmelum album, seu fœtidum, quibusdam Cotula fœtida dicta, in agris, aruis, & circa loca habitata.

Cornus fœmina, Virga sanguinea, Hartrigel.

Corylus syluestris, passim.

Cicuta vera, passim. Hæc aliquãdo est folijs latioribus, aliquando paulo tenuioribus, cæteris nihil differens.

Cicuta aquatica, folijs prædictæ tenuioribus, flore candido, semine maiore, cãdido, pessimi fœtoris, æstate passim in piscinis.

Cicutaria seu Cicutaria myrrhis, Cordus olim Myrrhidem syluestrem vocauit, vt referebat Aemylius. Ego Pseudomyrrhidem dici posse censeo, vulgo Kelberkern / passim in hortis & pratis quibusdam. Alijs pro Seseli Peloponesiaco habetur.

Crista Galli seu Alectorolophos lutea, Geel Rodel / passim in pratis ac quandoq; montibus apricis ac arboribus destitutis.

Calaminthe secunda, quæ alias etiam vbiuis fere est vulgaris, in agris montanis.

Calamintha tertia, seu Nepeta, ad rudera præsertim arcis Eberſburgi copioſa, item circa arcem Stolbergicam.

Cicer ſylueſtre maius. Conuenit ferme cum eo, cuius Matthiolus Iconem exhibet, niſi quod folia non ſint rotunda, ita vt Icon Matthioli habet, ſed oblonga, nigra, hiſpida, non dentata (quam ipſe quoq; notam in ſuo requirit) lenticulæ foliis ſimilia. Sunt & coſtæ, quibus folia inhærent, Matthioli plātæ coſtis lōgiores multo, pluribus itidem foliis præcinctæ. Caulibus vitigineis humi reflectitur, brachiatis ac late expanſis. Flores profert in denſa ſpica confertim conglomeratos, plurimos, lenticulæ ſimiles, luteos, quos ſubſequūtur membraneæ veſicæ, agminatim cohærentes, ſubflauæ, piloſæ, in acutum mucronem prominentes, minores ſiliquis ciceris arietini, quibus conduntur paruæ ſiliculæ plenæ ſeminibus rotūdis, paruis, flaueſcentibus, ſimilibus ferme loti ſatiui ſeminibus. Prouenit locis pratenſibus. Voco autem hanc ſpeciem maioris nomine, quod eiuſdem aliæ ſpecies reperiātur, quarum altera mediam magnitudinem obtinet, altera lōge minor eſt. Vtraq; in montibus Harcyniæ adiacentibus, ac meridiano ſoli expoſitis naſcitur, quorum in Montium hiſtoria ſeorſim aliquando fiet mentio.

Carduus auenarius, ſeu ſylueſtris Tragi, capitulis breuioribus, agminatim in cacumine ſtirpis inuicem ſuis pediculis cohærentes, caulibus ſæpe tricubitalibus.

Carduus alius admodum procerus, caulibus interdum tricubitalibus, foliis valde ſpinoſis, ſimilibus admodum Onopordo Dodonæi: omnes enim eius notas obtinet: paſſim.

Eiuſdem Cardui ſpecies aliæ, capitulo ſpinoſo, ſquammato, tenuiori quidem quam in priori, ſed longiori, candida lanugine ſquammas eius intercurrente.

Carduus ſylueſtris Dodonæi, capite grandi, echinato, ſpinoſo, ſquallidoq;, purpureis floribus comante, odoremq; dulcem remittente. Procerè aſſurgit, ita vt tricubitalis ſæpe fiat. Paſſim obuius eſt, locis apricis & cæduis: Acutiſſimis autē horret ac longiſſimis ſpinis.

Cynorrhodon, ſeu Roſa ſylueſtris, floribus ſubrubris ſuauiter fragrātibus. Videtur eſſe Cinnamomina Dodonæi. Eadem flore candido non ita frequens eſt.

Cynorrhodos alia flore paulo minore, ex candido tenuiter rubeſcente.

Cynorrhodos ſeu Roſa Canina, virgis, fructu ac foliis aculeatis, ſpōgiolas proferens. Weißdorn/vel riechende Dorn.

Cynorrhodi ſpecies in Broccenbergo naſcens, rarior inuētu, fructu nigro, non oblongo, ſed rotundo, ceraſi magnitudine, continente ſemina pauciora quam reliquæ ſpecies, duplo tamen grandiora ac formæ quodāmodo granorum vitis. [Roſa pomifera Lobelij, vel campeſtris odorata in Pannonicis Cluſij, Noſtris à foliorum figura Pimpernellenrößlin.]

Chamelæa Germanica, ſeu noſtras, id eſt, Kellershalß/ paſſim locis opacis circa Stolbergam, Gerenrodam, Ilfeldam, & alibi.

Coralloides Cordi, ſeu Rhizocorallum, vt vocari non inconcinne poſſet. *Dentaria* nimirum *minor* Matthiolo dicta. Copioſiſſime in montibus opacis circa Stolbergam & Ilfeldam veris initio prodit.

D.

DAVCOIDES Cordi maius, Daucus aſper Geſneri, vt exiſtimo. Locis aſperis ac montanis, ac inter dumeta.

Daucoides Cordi minus, ad macerias paſſim & iuxta vias, item circa pagos.

Daucus tertia Dodonæo, alijs Paſtinaca ſylueſtris, Vogelneſt/ paſſim iuxta vias, locis aridioribus, & in quibuſdam pratis.

Daucus tertia tenuifolia, Eadem cum priore, nisi multo tenuiora folia contineret, quæ in priore sunt aliquantulum latiora.

Daucus λασιόκαυλος. Radice nititur candida, palmari, quandoque pedali, vnica, deorsum descendente, nonnunquam in duas tréue partes æqualiter crassas oblique diuulsa, minus crassa paruo digito, odore apij satiui, ac sapore etiam, sed feruidiore, diutius linguæ inhærente. Caulem depromit cubitalem & maiorem, quandoque bicubitalem, infima parte ferè minimi digiti crasitie, geniculatum, nõnihil teretem, sed plurimis strijs euidentioribus angulosum, pilosum valde. Folia ad singula genicula lata ala caulem ambiunt, quæ deinde in pediculum carinatum, oblongum, pedalem in inferioribus folijs diducitur, asperum & pilosum: cui in anteriore sui parte ad latera bini semper ex æquo sibi correspondentes, alij breuiores pediculi, in brachiorum modum & ipsi canaliculati appenduntur, folia continentes, sicut & reliqua principalis pediculi pars, flauescentia vt plurimum ex viridi, in ambitu profunde incisa, simili modo quo folia carotæ nostræ satiuæ diuiduntur, sed in latiores tamen aliquanto particulas: sunt que hæc attactu quidem mollia, hispida tamen leniter, præsertim in dorso ac ambitu. Porro intra singulas foliorum alas adnata noua emergunt, striata, hispida & ipsa geniculis intercepta, iuxta quæ genicula latiori ala brachiolum amplexante pediculi canaliculati, prioribus similes, sed breuiores prodeunt, folijs consimilibus præditi, sed quæ subinde etiam breuiora fiunt, quo magis in plantæ cacumen deuergunt. Præterea etiam ex qualibet ala ferme foliorum, tam caulis, quam brachiorum, folliculus protuberans emergit inuolucro obtectus oblongo, ex quo demum sicuti & in caulis summo eodem modo prorumpit caliculus sex oblongis ac imbricatis foliolis constans, quibus diductis fasci-

sciculus exeritur plurimorum petiolorum, leniter striatorum ac pilosorum, agminatim caliculo inhærentiũ, quorum singuli expandunt paruam, & conuexam vmbellam candidam aut flauentem quandoq; leuiter odoratam: sequuntur quemlibet flosculum bina semina, sibi inuicem cohærentia, subrotundiora in ambitu, alias vero altera parte lata, echinata, fulua, similia Carotarum seminibus. Dauci anguloſi Cordi notæ plures huic cõgruunt, sed non omnes. Folia profundius vsq; ad suum pediculum dissecantur, in ambitu tamen serraturam nullam habent, nisi dentatas paucas impressiones. Deinde Cordus proculdubio non præterijsset eius euidentissimam pilositatem caulis, cum alias singula diligenti industria prosequatur. Præterea caulis licet sit striatus, tamen non circa radicem triquetram figuram ostendit. Demum nihil villorum circa radicis caput examissis folijs obtinet. Sed hæc omnia potius (vt & alię Dauco anguloso attributę notæ) in Libanotide amara reperiuntur, quam tamen seorsim Cordus alicubi descripsit in libello cui titulus fuit, Liber VI. quẽ ipsius Cordi ἀυτόχειρον olim apud Aemyliũ vidi, qui nondum editus est, licet quædam capita inde desumpta quatuor Stirpium libris sint inserta. Tamen non dubito nostrã Daucum Cordo fuisse cognitissimã. Nascitur maxima ex parte in ericetis, locis apricis, præsertim in montibus circa Gerenrodam: imo etiam Stolbergæ in monte vrbi proximo ad dextram ante portam Septentrionalem **fürm kaltenthal**, item in loco pratensi Harcyniæ dicto **vff der Langen**.

Daucus ἐχινόκαρπος aut ξανθιόκαρπος maior. Vulgo **Klettenmöhren**, quo nomine & Cordus libro sexto ipsum descripsit. Herba est bipedalis vt plurimum, radice candida, breui, parũ fibrata, lignosa, inutili: ex qua prodit caulis teres, striatus, asper, nonnihil spinosus, ad genicula pediculis oblongis præcinctus, quibus appenduntur folia multa, per certa interualla

semper

ſemper bina ex oppoſito ſibi correſpondentia, profunde in ambitu inciſa, carnoſa aſpera. Ex ſingulis foliorum alis noui ramuli erumpunt, eodem modo pediculis foliatis ſed breuioribus donati. Floſculos exhibet per ſummum caulis & cuiusq; brachioli in foliato capitulo denſe cõglomatos paruos, breui vmbella explicatos, quibus pereuntibus, ſequuntur ſemina oblonga, bina ſibi cohærentia florem quemlibet, ſeminibus Xanthij ſimilia. Prouenit locis aſperis & incultis.

Daucus ἀκανθόκαρπος, *ſeu* ἐχινόκαρπος, *ſiue* ξανθόκαρπος minor. Caucalis ſeu Daucus ſylueſtris Dodonæi To. II. Folijs inter carotam ſatiuam & cicutam medijs, frequenter inciſis in tenuiſſimas partes: caule inæquali, aſpero, nonnunquam & ſpinoſo, præſertim iuxta ſummitatem, & in multa brachia diuiſo. Cuiuslibet brachij & ipſius caulis faſtigium in faſciculum plurimorum pediculorum dirimuntur, in quorum apice ex caliculo foliato exeruntur foliacei floſculi, albentes: quibus decidentibus ſubſequitur vnumquemlibet florem ſemen duplex, Xanthij ſeminibus itidem ſimile, paulo minus prioris huius generis ſpeciei. Locis reperitur quandoque, ſed rarius, aridioribus & apricis.

De Dauco ſelinoide, ſupra in Apio.

Dryopteris Tragi, Pteridion fœmina Cordi: paſſim ad radices quercuum & in muſcoſis crepidinibus ſaxorum humidorum.

Digitalis lutea, paſſim.

Dipſacus ſylueſtris, circa oppidula, pagos & villas.

Dipſacus minor (licet tàm ſatiua quam ſylueſtri ſit procerior & ramoſior) ſiue Virga Paſtoris. Ad monaſterium ordinis Auguſtinienſium, Himmelspforten / prope Vuernigerodam, copioſe naſcitur.

Dactyliobotanon, Trago Händlinkraut. Alterũ cæruleo, alterũ niueo

ueo flore. Quæ cæruleo habetur, cõgener eſt Elatinæ II. Dodonæi, quo ad folia, Pſeudochamædryos vero generib. quo ad flores & ſemina. Differt vero ab Elatine, quod illius folia integra ſint & in ambitu tantum ſerrata, huius vero folia in oblongiuſculas lacinias diuiſa, quaſi manus in tres pluresue digitos diſtributæ figura. Cæterum cæruleum hoc duplex eſt. Maius in agris inter ſegetes naſcitur, cauliculis brachiatis, palmarib. folijs ferè vncialib. craſſioribus, pinguioribusq;. Minus ſimpliciores habet colicolos & breuiores, folia etiam minora, & locis montanis ac aridioribus prouenit. Dactyliobotanon autem alterum Tragi niueo flore, in ſcopulis præcipue vdis alijsq; humidioribus locis reperitur. Eſt autem hoc congener Saxifragæ albæ. [Quam Tragus hoc nomine deſcribit, Lobelius Paronychiam folio Rutaceo appellat, apud quem Imago viſenda fuerit, cum nec Tragus nec quiſquam alius eam depinxerit. Autor aliquando miſit huis plantulæ ſemen Tridactyli nomine.]

E

ERICOIDES luteum, Plantula dodrantalis, fruticoſa, cauliculo anguloſo, foliolis paruulis, ſtrictis: flores profert copioſos menſe Septembri, racematos longo ordine adhærentes ſummis cacuminibus brachiolorum, exertos ex paruis caliculis viridibus, eoſq; luteos, ſimiles floribus ericæ cuiusdam. Oſtendebatur mihi olim à viro in re herbaria peritiſſimo ac præceptore meo obſeruandiſſimo, Laurẽtio Hiel pro Cori, ſed nec odorata eſt, nec flores Hyperici continet. Prouenit in collibus ſterilioribus, apricis ac arboribus deſtitutis. [Euphraſia lutea Dodonæi.]

Ericoides

Ericoides rubrum. Priori ſpeciei aſſimilis hæc eſt, ſed paulo maior, foliis latioribus, floribus rubicundis. Sed tum flore tum foliis minus ad Ericæ figuram accedit. Prouenit locis aridioribus circa ſegetes, & in ipſis quandoq; ſegetibus. Vulgo Triticum leporinū nominant. Semina in exiguis capitulis profert parua, multa candida, ſicuti & Ericoides luteum [Euphraſia purpurea Dodonæi: Vtræq; ſideritides aruenſes appellantur in Lugdunenſi Herbario.]

Eupatorium Dioſcoridis, Vulgo Agrimonia, paſſim.

Eryſimon noſtrate, locis aſperis, paſſim, ac circa oppidula, pagos, villasq; & alia loca habitabilia.

Echium paluſtre Cordi, Scorpioides mas Dodonæi. paſſim ad flumina. [Vergiß mein nicht.]

Eiuſdē alia ſpecies. Dodonæo Scorpioides fœmina, Hęc locis aſperis & apricis montiū prouenit, & in ſyluis potiſſimū cæduis, non ad loca irrigua & humecta vt prior. [Wild vergiß mein nicht. Geſnerus vtranq; ad Heliotropiū maius retulit.]

Erigeron ſeu Senetio Vulgaris, Kreutzwurtz: paſſim in ſyluis cæduis.

Erigeron fœtidum ſeu maius, odore graui ac bituminoſo aliquantulum, foliis reſinoſis quodammodo attactu. Cubitali ſæpe proceritate & ampliore aſſurgit. Eam Vir Clariſſimus D. Laurentius Hiel, olim præceptor meus Conyzam Hippocratis eſſe autumabat. vbiq; locis cæduis ac apricis.

Erigeron tertium Dodonæi: locis aſperis & apricis.

Euphragia. paſſim locis pratenſibus. Altera maior, cauliculo aſſurgens ſeſquidodrantali, ac quandoq; paulo proceriore, brachijs multis prædito, foliis alterius ſpeciei duplo, imo ferè triplo maioribus & floſculis maioribus. Hæc in pratis pinguioribus reperitur, maxime circa Stolbergā. Prodit ſimul cum altera ſpecie, ſed nō ita frequens eſt vt illa notiſſima, quæ omnia minora continet.

Erica vulgaris, paſſim.

Eadem

Eadem tenerior ac foliolis multo tenerioribus, in Broccenbergo & vicinis montibus.

Erica baccifera Matthioli. Nam hanc, de qua nunc agimus, eandem eſſe cenſemus. Angli vero in ſua Aduerſaria Vacciniorum paluſtrium nomine eam proponunt, quamuis hæc noſtra in paluſtribus nō naſcatur. Fruticulus eſt humi procumbens, in oblonga, multifidaq; brachia rubentia, lignoſa, obſequioſa ac folioſa latè ſuper terram ſe prorependo explicās: foliis denſe obueſtitur breuibus, oblongiuſculis, ſtrictis, ſuffuluis, ſæpe etiam nonnihil cæruleis, ſplendentib. ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æſtate ſub Syrij æſtu emicant tenuiſſima ſtaminula, breuiaq;, filamentorum ſericorum ferè inſtar, quorum ſummitatibus apicula inſident coloris ex rubro nigricantioris aut ſpadiceſcentis fere: hæcq; filamenta & apicula florum vicem explent, ijſque decidentibus emergunt baccæ ſplendentes, iuniperinis minores, ſimiles baccis Vitis Idææ ſeu Vacciniorum nigrorum Dodonæi, rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpa conſtantes, cui infarcta continentur ſemina purpuraſcentia. Prouenit copioſe in ſummo Broccenbergi iugo & ſaxorum aridorum fiſſuris. Saxones, qui montem illum accolunt, vocant hoſce fructus Apenbeer / hoc eſt, Simiarum baccas. Vnde, ſi quis neq; ericæ neque Vacciniorum ſpeciem ſtirpem iſtam eſſe volucrit, is nomine conficto πιθηκόκοκκον appellare poſſet. Inde autem ei hoc nomēclaturæ inditum eſt, quod eſus ipſorum vberior capiti noxia inferat quædam ſymptomata, ad quæ deliræ ſubſequantur geſticulationes, ratione nonnihil interturbata, vt is qui ipſis vſus fuerit copioſius ſimiarum inſtar ſeſe habere geſtu riſibundo videatur. Hinc plantulam hanc deleteria facultate minime carere cōtendunt, & ab eius baccarum eſu omnino abſtinent, alijſq; ipſorū vſum ſancte interdicunt. Ac amicus quidam noſter Andreas Roſelerus

Pharmacopæus Halberſtadienſis, vir optimus ac rei herbariæ non triuialiter gnarus, hāc ſtirpem Chamætaxum vocare ſolet, tum ratione qualitatis iſtius malæ, tum foliorum oblongiuſculorum taxi, ſed breuiorū. Aemilius eam olim, piæ memoriæ, cum necdum illo tempore à quoquā eſſet hæc ſtirps deſcripta, Corios ſpeciem faciebat, Corin Broccenbergenſem nominans. Reperiuntur & Vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam **Gichtkraut** vocitant, commendantque eam mulierculis vt præſentaneum præſidium contra iſtiuſmodi morbum.

Euonymus Theophraſti, ſiue Anonymus Cordi, Spilbaum/ Hanhödlin/paſſim.

Elatine vulgaris herbariorum, quam & Dodonæus Tom. I depingit, paſſim in agris. Matthioli vero Elatinen, folio acuminato, an in Harcyniæ agris etiam reperiatur, nondum animaduerti, ſicuti nec alteram eius ſpeciem; alias in Marchiæ ac Saxoniæ agris ſæpiſſime mihi viſam; folio non vt hæc in baſi, quaſi in duas auriculas prominentes diducto, ac deinde in acutum mucronem finiente, ſed omnino rotundo vt numulariæ. (Hæc Trago, Fuchſio & Matthiolo Veronicæ fœminæ nomine deſcribitur.)

Epimedium Dodonæi. In Harcynia noſtra olim iuxta fluuiū quendam, ſed neſcio vbi, reperi. Plantam ipſam habeo aridā in papyro agglutinatā, folijs quatuor, orbicularib. in ambitu modice dentatis, quorum quodlibet ſingulari innititur petiolo, tenui, palmari longitudine prædito: radice parua, tuberoſa, nigra, in tenuia, oblonga ac nigra adnata diuiſa.

F.

FILIPENDVLA, locis montanis, apricis ac pratenſibus, circa Gerenrodam, alijſq; locis.

Filix mas, paſſim. Hæc aliquot differētias exhibet, vt accuratius loca

loca opaca montium perreptantibus ſe illæ nō raro ſpectandas offerūt. Prima eſt illa communis omnibus herbarijs, folioſo pediculo, abſq; brachijs, ſed in multas pinnatas alas diuiſo, in ambitu nihil prorſus dentatas. Secunda tantummodo tenerior ac mollior, pinnis in ambitu frequenter dentatis, viridior & elegantior, non ita frequens. Tertia, quam filicem ſpinoſam ſeu aculeatam cognomino, pinnulis breuioribus, nigrioribus, nō dentatis, totis integris, ſed in ſpinulam acutam breuemq; omnibus deſinentib. Copioſa ac frequēs eſt circa Stolbergam ac Ilfeldam, montib. quibuſdā opacis.

Filix fœmina. Profert pediculos in brachia diſcretos. Hāc duplicem obſeruaui. Prima eſt cōmunis, cuius foliorum pinnulæ filicis maris pinnulis ſunt latiores, coloris buxei & ſubſtātiæ fere conſimilis, læues, non dentatæ. Altera tenuifolia, ſimilis illi, quam Maſculam ſecundam feci, niſi quod pediculo conſtet molliore, diſtorto, multifariā brachiato, pinnulis tenerrimis, profunde dentatis, parte ſuperna nigricantibus, inferna vero, qua inhærent puluiſculi rubicundiores, vireſcentib. Hanc in opacis Harcyniæ montibus rariſſimam inueni, circa Ilfeldam & Stolbergam, cubitali longitudine. Minori vero ſtatura frequentius reperitur, ſicuti eam Cordus Pteridij ſui maſculi nomine deſcripſit.

Fagus.

Fraxinus: tam ſterilis, quā frugifera, paſſim. [Hæc linguam auis officinarum gignit, illa ſolos floſculorum racemos nigros, qui abſq; fructu, vt iuglandium Iuli, decidunt.]

Fraxinus fago ſimilis, **Buchaſche.**

Fraxinus dura ſeu λιθόξυλος, (vt dixerit quiſpiam) **Steinaſche.**

Fumus terræ, locis cultis, vbi terra foſſione ſubacta eſt.

Fragaria maior. Fraga proferens rubicundiora ſeu ſanguinei coloris, **gemeine Erdtbeer.**

Fragaria minor, ſeu nigra. Folijs minoribus ac nigriorib. fructu

maiore, minus granoso, dulciore, candido toto, quandoque vero parte altera, quæ inferior est, candidiore, superiore autē & solis radijs exposita, rubicundiore; dum decerpitur, strepitum euidentem edente, vnde vocant Knackelbeer/ Preßling/ Prouenit locis asperioribus & apricis collibus.

G.

GERANIVM σκανδικόφυλλον, folijs scandicis, hispidis, parum dissectis ita vt anemones folia quidē exprimant, sed radix ei rotunda nō est, verum oblongiuscula, palmaris, teres, candida, ideoq; primum Dioscoridis genus esse nequit. Locis asperis prodit & circa pagos, villas, oppidula, vicos.

Geranium καταραχιοειδὲς Dodonæi, flore purpureo, magno. Reperi etiam in Harcynia flore candido. Nec est quod quis causam in soli vel solis rationem referat, cum sub vno eodemq; sole, loco aprico & solo etiam eodem hanc flore candido, & alteram flore cæruleo simul prognatam viderim.

Geranium secundum, pes columbinus, folijs maluæ, dissectis. Duplex est: Maiori caules sunt maiores & folia, quæ sunt paulo molliora. Reperitur nonnunquam circa pagos, villas, & alia loca habitabilia, in fimetis plerunq;, alijsq; locis impuriorib. Minori omnia sunt minora & folia asperiora.

Geranium tertium seu Robertianum, passim in hortis & cæduis syluarum locis.

Geranium αἱμαῖδες, Blutwurtz/ locis apricis.

Geranium saxatile, ὑγροσκόροδον. In saxis humidiorib. reperitur, potissimū circa arcem Honsteinam, & in monte Ilfeldæ vicino, quem Hartzberg vocant, & in mōtibus vltra Gerenrodā, qua fluuius ex angustis faucib. per saxorum crepidines decurrit, ac Suderodam pagum versus prolabitur. Folijs similib. Geranio secūdo, sed læuiorib. rubentibusq; cōstat, elegātioribus & subnixis palmaribus petiolis rubentibus, flosculis purpureis, paruis, radiculafibrosa, parua. [Semen fert luteum Chamælinæ admodum simile, gustu tamen insipido ab illo discrepans.]

Graminum passim varia reperiuntur genera, eaq; rursus in varias species diuisa. Recensebo tamen hic breuiter quædam euidentiora quæ aliquo modo sub descriptiones certas cadere possunt. De bromo, quæ & ipsa graminei est generis, supra dictum est: de phœnice vero, quæ ipsa quoq; istius generis est, suo loco mentio fiet.

Auenæ sterilis, quæ itidē ad genus graminosum pertinet, etiam supra mentionem fecimus. Ea vero prima species Graminum Loliaceorum est apud Tragum, qui tamen cum hac auena Phœnicem Dioscoridis cōfundit, & prima Graminum icone non auenam sterilem depingit, sed Phœnicis illam speciem, quæ in summo culmo plurium spicarum (lolij veri spicis similimarum, ijs tamen minorum) fasciculum aliquot singularibus pediculis latius dispersum & explicatum continet, cuius infra etiam fiet mentio. Cum autem Dodonæus Auenam syluestrem veram Aegylopen seu Festucam eiusq; speciem primam faciat: non absonum erit, & sterilem hanc auenam isti syluestri similimam, sed minorem, alteram speciē eiusdem festucæ, minorem nempe, constituere: Sicuti noui doctissimos viros, qui hanc sterilem auenam audacter pro festuca demonstrent. Quare hac occasione etiam hic subiungam Catalogum aliarum festucaceorum graminum generis specierum, quas non raro in Harcynia, sicut & alibi etiam, passim locis graminosis obseruaui.

Altera festucæ species Dodonæi in frumētaceorum historia, non solum inter sata, sed & secus vias ac in pratis non infrequenter reperitur. Estq; vt conijcio, secunda species graminis Loliacei apud Tragum. Potius enim huic festucæ, secundi

cundi generis Lolij apud Tragum descriptio competit, quã Lolio vero. Festucæ autem huic gramineæ (quam sic ad differentiã prioris, quæ frumentacea est, nomino) aliam speciem subiungam: *Festucam tertiam seu gramineam nemoralem*, quia pratis nemorum præcipue sit familiaris. Ea vel *maior* est vel *minor*. Maior in Harcynia nostra locis graminosioribus sæpe obuiam est, culmo hordei procero, bicubitali quandoque geniculato, foliis item hordeaceis donatos, in cacumine in dodrantalem, tenuem teretem & frequenter geniculatum coliculum desinens, in quo continuata serie, longa ac densissima iuba eleganter in viridi argenteo splendore refulgens continetur ex innumeris capillaceis breuibusque pediculis connexa, quibus appenduntur plurimi vtriculi, paleacei, exigui valde, auenaceis similes ac quasi volantis auiculæ effigiem, dum expanduntur, exprimentes. Hæc species in montibus reperitur graminosis. Huius vero minor species consimili constat iuba, sed in multo minori ac tenuiori: hæcque non tantum nemoribus assuescit, sed alijs etiam locis & pratis felicioribus. Præceptor meus, præclaræ memoriæ, cuius iam sæpius memini, Laurentius Hiel, hanc sterilem etiam auenam faciebat. Reperitur adhæc in Harcynia nostra huius generis species media, radicibus geniculatis, minoribus, densa capillaceorum cirrorum congerie præcinctis, folijs pluribus, angustis, palmo longioribus, parum pilosis, culmis cubitalibus & longioribus, interdum bicubitalibus, crassioribus, minoribus vero iam memoratæ speciei, paulo tamen tenuioribus quam festucæ nemoralis maioris, prope radicem bina ternaue genicula habentibus, reliqua autem serie (qua vsque in summum fastigium prorsus destituitur geniculis) iubatam spicam continentibus, oblongam sed primæ speciei tenuiorem, rariorem, vtriculis tamen eiusdem paulo maioribus constantem, nec ita splendentem, vt in illa. Spica vbi

vbi defloruerit, frumenti alicuius genus imitatur, vtpote Secalen, vel aliud simile. Frequens est in mõtibus aridioribus passim, ac secus vias. Videtur vero hoc genus vitium esse secalis. Ac, sicuti sæpissime in Secale nostra accidit, vt aristæ quædam, postquam flores deciderunt, ac semina iam augmenta suscipere incipiunt, vitium aliquod in granis cõtrahant: forte maior succi copia, quã ad grani iustũ alimentum opus est, attrahitur, vt ita necesse sit, corticem adhuc tenerum rumpi, & ita internam substantiam in maiorem molem augeri, ac à feruore solis & ambiente in circumferentia sua affici. Tunc enim videmus quædam semina longius ex suis vtriculis seu glumis protendi, ac in mediocrem etiam crassitiem excrescere, nigrumq; colorem foris contrahere, intus candida farina densioris materiæ constantia. In Thuringia vulgo vocatur vitij hoc genus mater Secalis, **Rockenmuter**. [Vtuntur etiã eo ad sistendũ sanguinem.] Eodem inquã modo vitij id, anno LXXV. in hac festuca Secalina obseruaui. Reperi enim in montibus quibusdã Stolbergæ huius plures spicas, non vnũ eiusmodi vitiosum granum oblongum, nigrum, continentes, sed plura, eaq; maxima ex parte in corniculi modũ recurua. Verum tempore florescentiæ ipsius anno illo copiosæ erant pluuiæ & postea succedebat calor solis feruidior. Porro si quis singula velit ad amussim examinare, facilime differentia maioris & minoris esset reperiri, solummodo discrimine eius spica vel longiore vel breuiori constituto.

Deinde alia *Festucaginis* species obseruari in montibus graminosis datur, quã quartã constituemus *Festucam nemoralem latifoliam* appellantes. Constat ex calamis cubitalibus vtplurimum, sæpe bicubitalibus, hordeaceis, sed tenerioribus, geniculatis & omnino similibus calamis festucæ nemoralis maioris. Folia ei inter omnes species sunt latiora, secundum lon-

longitudinem interſtriata & molli lanugine obueſtita, cuius ratione attactui molliciem eiuſmodi offerunt, qualis in Althææ folijs tangentium digitis obijcitur. Iubam in oblonga profert ſpica, non ita elegantem, vt iam cõmemoratorũ Feſtucaceorum, coloris antequam flores exerat ſubrubentis, deinde ex flauo pallidioris, vtriculos etiam breuioribus pediculis appenſos habentem, quantitate ea, qua medij generis iam indicati eſſe diximus. Semina continet paruula, oblonga, ſplendentia, & quaſi milij cuiuſdam ſeminum rudimentum exprimentia.

Aliam in noſtris ſyluis Harcynicis non ſemel reperi, quam pro Feſtuca quinta habeo, ita vt dicatur Feſtuca tenuifolia. Omnia enim præter iubã cæteris tenuiora habet. Radice cõſtat plurimis exiguis ac tenuibus cirris prædita, ex qua ſtraminei, tenues, teretesq; ac flauentes, geniculati & cubitales calami prodeũt, folijs ſtrictioribus donati. Iubam etiam hæc profert rariorem, in tenuiſſimis capillaceis & multo longioribus pediculis vtriculos exerentem quantitate vtriculorum feſtucæ gramineæ nemoralis mediæ, coloris fului, ac argenteo nitore micantem.

Subnectam Sextam, paſſim in agris Harcynicis proueni-entem, folijs breuioribus, cauliculis tenuibus, ſtriatis, in cuius ſummo racematim dependent palmi longitudine in tenuiſſimis & vix viſu perceptibilibus pediculis, parui quidam membranacei & paleacei vtriculi, quorum exteriores membranulæ rubent, quibus dehiſcentibus candidulus flos emicat.

Et hactenus de Feſtucis, nunc de aliis graminum generibus.

Gramen commune, quod hoc nomine apud Tragum depingitur.

Gramen apud Dodonæum To. II. pag. 370. depictum.

Gramen caule geniculato, cubitali, procerioriq;, folio bipedali ferè,

ferè, vnciali latitudine, viridi, ſcapo ſpicato, dodrantali, ſæpe & ſeſquidodrantali, ſubinde longo ordine ſpica oblongiore, tenui, alia aliam ſubſequente.

Gramen vulgo notum, radice craſſa, geniculata, fibrata, culmis cubitalibus, quandoq; maioribus, teretibus, quorũ maior pars folijs, qua illa ex nodis erumpunt, velut in oblonga vagina obſepitur, parte illa obſepiente folij acutum angulum aſperumq; ad vtrumq; latus veluti pinnulas ꝑminulas deorſum conſtituente. Spicam profert denſam ex breuiorib. vtriculis denſe confarctis conſtantem, ita tamen vt anteriori ſummi coliculi parte ſpica conſtituatur, poſteriore interim eius parte (quæ eſt veluti dorſum) nuda apparente. Obſeruaui & hãc ſpeciem in ſemine admittere tale, quale dixi contingere in Feſtuca graminea media, ſed id non in recurui corniculi, vt ibi, figuram inflecti vidi.

Gramen λευκάνθεμον Dodonæi, tertium ſcilicet Graminis genus apud Luſitanum. Euphragia alba Tragi.

Gramen floridum Matthioli. Duplex hoc eſt. Maius iam dicti autores omnes depingunt. Minus tenuiores coliculos profert, folia ſtrictiora & floſculos breuiores: hoc locis humentibus prouenit & in foſſis ſtagnantibus. [Inuenitur etiam alibi graminoſis locis, foliaq; non ita dura habet, vt Maius & in frutetis naſci gaudens, primo etiam exortu pene nullum in acumen, vel admodum obtuſum vergẽtia, priuſquam floſculos producat, qui ſtellulam quandam eleganter repræſentant, & inprimis pulcelli atque aſpectu grati ſunt ob ſtaminula rubra è medio ipſorum exeuntia.]

Gramen τυφοειδὲς, Rectũ erigit culmum, in ſummo longa denſaq; ſpica conſtantem, quæ aliquo modo Typhæ aquaticæ ἀνθήλης imaginem repræſentat. Duplicis eſt generis, aſperũ & molle: vtrunq; rurſus in ſpecies ſubdiuiditur, maiorẽ & minorem. Aſperum maius folia profert vt pleraq; communiora gramiG num

num genera: calamum rectum, teretem, geniculatum, in cacumine rectam teretemq; ostētans spicam, attactu asperam, palmari sæpe longitudine, quandoq; etiam maiori, circum circa frequentibus, continuis, exiguis ac paleaceis vtriculis, qui spinulis paruis horrent, ac intus exiguum, subrotundum semen concludunt, dense ac quasi squammarim coagmentatam. Minus culmos profert tenuiores, oblōgos geniculatos, priori similes, angustioribus folijs & breuiorib. præcinctos, ac spicam in summo breuissimam, tenuem, asperam, ac exiguis spinulis horridam continentes. In altero genere, quod molle est, species maior iam dictæ speciei similis, sed spica breuiore donata cernitur, crassioretamen aliquantulū, molliore item, ex vtriculis oblongioribus & mollioribus compacta, non ita spinosa, sed spinularum loco oblongiusculas quasdam ac tenues aristulas ex ipsis eminentes copiose exhibente. Huius generis minus breuiori ac tenuiori spica, sicut & reliquis partibus esse conspicitur. Cæterum hæc genera vbiuis passim in pratis frequentia sunt.

Graminis primi Dioscoridis species maior, vulgo in agris.

Graminis primi Dioscoridis species minima, se nunquam attollens, sed geniculatis ramulis iuxta Dioscoridem serpens, ac ex internodijs suis, & ex ipso etiā cacumine creberrime nouas radiculas iuxta Plinium spargens, ac ex ijs nouarū plantularum exortus exhibens. Hæc passim in Harcynia, & etiā Stolbergæ in pratis vliginosiorib. ex musco terrestri, qui cādidus vtplurimum est, nonnunquam ēt rubeus, non infrequēter prodit, radicib. tenuiorib. cirrosis, coliculos emittens recuruos, humi prostratos, tenues valde, teretes, geniculis frequentib. interceptos, ad quæ primum folia prodeunt palmaris longitudinis, stricta, deinde ēt inter hæc folia & ipsorū geniculos singulos denso prorumpit plurimorum, paruorū, oblongiusculorum ac strictissimorum foliorum cespes, ad quorum inferius

rius tubor, quo ex geniculis prumpunt ipsa, noui cirrhi emergunt, qui denuo in musco comprehendentes, nouarū plantularum origines existunt.

Gramen aculeatum Plinij primum, seu Gramen Mannæ Matthioli, sed rarius.

Graminis Loliacei tertium genus apud Tragū, quod Hordei ipse viciū esse asserit, cui & omnino simile est, passim, locis asperis. Estq; duplex: Maius bicubitali culmo in montib. sæpe exurgit, ac longiore spica præditum est: Minus, culmo & spica breuioribus, in collibus aridioribus alijsq; asperis locis ac secus vias pronascitur.

Graminis Loliacei quartū genus apud eundē, cp *Brizæ monococco* simile ipse facit, in Harcynia me vidisse non memini.

Graminis Loliacei quintum genus Tragi, Bromus herba est, de qua supra.

Graminis Loliacei apud Tragum octauum genus, quod procul dubio est Gramen arundinaceum, consimili coma qualem arundo cōtinet. Huius alia species est, quam mediam in hoc genere facio, caulibus sesquidodrantalibus ferè, geniculatis, foliis cōmuniorum graminum generum ijsdem, oblōgis videlicet. Spicam, vt prior species, paniculatam, non vnicam in summo culmo profert, sed ex singulis, quibus constat, geniculis singulas, palmares ferme, molles spadiceas. Nascitur solo pinguiori ac plerunque humidiore. Inuenitur & tertia species, minor, breuioribus ac tenerioribus coliculis, foliis breuiorib. ac strictioribus, spicis itē paniculatis, quæ & ipsæ spadiceæ sunt, breuioribus ac tenuioribus: Cumque secunda species per totum caulem à radice vsque in cacumen ex geniculis emittat suas paniculas: hæc cauliculo constat inferioribus partibus enodi, in summitate tantum pauculageniculahabente, ex quibus paniculæ binæ, tres, vel quatuor ad summum prodeunt. Nascitur ijsdem, quibus prior, locis. In

hiſce autem duabus poſterioribus, paniculę poſtquam defloruerunt, decidunt, ac eas ſubſequuntur ſquamata capitula includentia ſemen nigrum, paruum, acuminato cuſpide præmunitum. Huic porro minori ſpeciei & alia cōſimilis reperitur radicibus paruis, nigris, fibratis, folijs circa radicem paruis, palmaribus ferè, acutis ac recuruis: coliculis tenuib. enodibus, in quorum cacumine tres, nonnunquam plures ſpicæ, breues, ſpadiceæ ferè, in faſciculo quaſi ſimul comprehenſæ (ſicut in gramine Mannæ) conſtituuntur. Inuenitur locis aridioribus. Adhæc huius octaui generis alia perpuſilla graminis ſpecies reperitur, cuius tota plantula palmarem longitudinem non excedit, radicibus paruis, fibratis, nigricantibus, foliolis oblongiuſculis, ſtrictis, recuruis ac imbricatis: coliculo tenui, in ſua ſummitate breuem ſquamatamq; ſpicam continens. Hæc omnium minima huius generis naſcitur locis aridioribus & apricis.

Graminis arundinei alia ſpecies. Maximum ſcilicet graminis genus, ad tricubitalem & ſæpe maiorem altitudinem aſſurgēs: folijs lōgis, latis, aſperis, culmis digito minori paulo tenuioribus, inanibus, frequentibus & grandioribus geniculis obſeptis. Circa Ilfeldam prouenit, præcipue iuxta foſſas. Si coma ei arundinis eſſet (quam nondum vidi) albo flore, eſſet nonum Lolij, ſeu graminis Loliacei genus apud Tragum.

Graminis Loliacei apud Tragum decimum genus, **Flittern** vulgo, à propendulis & tremulis capitulis, quæ in ſummitate coliculi, quaſi racematim in ſingulis pediculis eleganter propendentia ac ſquamatim compacta habet, ſimilia fermè micantibus illis laminulis in frontalibus & vittis virginum ac mulierum dependentibus. Trago eſt Plinij ac Dioſcoridis Aegylops, apud Luſitanum vero pro primo graminis genere depingitur.

Graminis ſpecies parua, radicula breui, cirrhata: folijs paruis, anguſtis,

guſtis, piloſis: coliculis dodrantalibus, in quorum ſummo ſingularib. pēdiculis breues ſpicæ cōſtituuntur, ſpadicei coloris, ex quibus emicant floſculi tenues ex flauo pallentes, noſtri vocant **Haſenbrot**. Paſſim in pratis & ericetis.

Gramen ἐπιγονατόκαυλον. Herbula eſt graminoſa, denſo ſæpe ceſpite locis pratēſibus humectioribus naſcens. Radice parua, fibrata, ex qua frequentiſſimi ac admodum tenues exeruntur coliculi, palmares, frequentiſſimis geniculis cincti, ex quibus proſiliunt ſtricta folia, palmaria ferè: vnicuilibet prætereа geniculo adnaſcitur intra folij alam paleaceus caliculus continens paruum mēbraneum, fuluumq; capitulum, in quo ſemina minutiſſima plurima occluduntur ſimilia ferè ſeminibus centaurij minoris. Adhæc etiam præter folium & caliculum, ex ſingulo caliculo ſubinde noui, eodem modo geniculati coliculi alij prodeunt. [Videtur ea plantula, quam Lobelius titulo Holoſtij Matthiolí inſigniuit, paſſim apud nos locis muſcoſis ac putridis humentibusq; frequens.]

Sunt & alia plurima graminum genera, quæ in foſſis humidis, in aquis, alijsq; locis humidioribus naſcuntur, mixti ferè generis cum iunco & gramine, ad graminum tamen genera propter folia, pertinentia, quæ poterimus graminum iunceorum nomine appellare, quod enodes cauliculos iuncorum inſtar proferant. Huius generis erit prior illa ſpecies apud Tragum, ſub nomine **klein Riedgraß** depicta, quam Vergilij caricem acutam facit: foliis ſtrictis, acutis, oblongis: caule leui, in cuius ſummo longo ordine ei appenduntur oblongiuſcula quædam capitula ſurſum porrecta.

Gramen iunceum lanigerum, ſeu Iuncus laniger, aut Bombycinus quibusdam dictus, **Wieſenflachs** / paſſim in vliginoſioribus pratis & in ipſa etiam Broccenbergi vligine.

Gramen iunceum πολύκαρπον. Hoc cauliculos profert plurimos, teretes, iunceos, nonnihil tamen nodoſos, folijs gramineis, le-

nibus obuestitos, in summo in plures dehiscentes pediculos, continentes capitula festucacea, pauca, ex nigro splendentia, quibus nigra quædam ac oblongiuscula compræhenduntur semina. Passim in vliginosis locis. Hæc est species maior. Minor folijs palmaribus ferè, sed strictissimis, coliculis itidem tenuissimis ac capitulis valde exiguis. Habetur hoc genus à multis pro iunco, cuius tamen ego ipsum generibus ascribere non audeo cum sit foliatum, ac caules primæ speciei frequentibus geniculis intercipiantur.

Gramen iunceum πολυσάχυον: Folia continet oblonga, angusta acuminata: cauliculos teretes, sesquidodrãtales, flauescentes, in summo paruis spicis per certa interualla se consequentib. fœcundos.

Gramen iunceum triquetrum: Hoc folia profert arundinis, minora, minusquelata, vtrinque acuta, & stringentium digitos lædentia. Caules profert triquetros, in quorum summo spica aculeata consistit, semina continens nigra, plurima, oblonga, in aculeatum cuspidem prominentia. Reperitur locis aquosis.

Glycyrrhiza syluestris. Hæc etiam alias extra Harcyniã syluis plurimis Saxoniæ ac Thuringiæ familiaris est, veris initio potissimum inter veprium ac dumorum implexas radices prosiliensi caulibus cubitalibus, fruticosis, rectis, brachiatis: folijs arachi primi, sed maioribus paulo ac nigricantibus: floribus puniceis, quos subsequuntur siliquæ ex spadiceo colore nigrescentes, quadrãtali longitudine, teretes, semina rotunda, piso minora continentes. Radix ei est altè terram penetrans, crassa, nodosa, multifida, dulci sapore. Tota autem facie glycyrrhizam æmulatur, paucis particulis exceptis.

Grossularia seu vua crispa, ad rudera Ebersburgi & iuxta Bischofrodum, non procul ab Iluelda.

Gallion album & luteum, passim.

Genistella

Genistella seu genista spinosa, locis quibusdam montanis, apricis, graminosis atque in Ericetis.

Genistæ minoris species. Fruticulus est dodrantem altus interdum & procerior, ramosus, folijs plurimis, nigris, mollibus, hispidis, lenticulæ minoribus, floribus luteis: Nascitur in summo Broccenbergi iugo, itẽ circa Gerenrodã. Aliàs ericetis Marchiæ veteris communissima est, & montibus circa Quedlinburgum.

Genista humilis Dodonæi, Corneola Leoniceni. passim.

Gnaphalium vulgare maius, simplicibus procerioribusque caulibus, in oblongo corymbo flores proferens. Passim locis apricis, montanis & asperis.

Gnaphalion vulgare minus, Impia Plinij. Priori est breuius, breuioribus etiam folijs præditum, sed magis incanis: ex capitulis veluti orbicularibus, è quibus flores exerit, subinde nouos & breues coliculos proferens, ex quorum capitulis deinceps porro & alij consimiliter coliculi breuiusculi enascuntur. Passim locis apricis, montanis, & asperis.

Galega syluestris Dodonæi, passim.

Galeopsis Matthioli seu Vrtica vulgaris mortua, flore verticillato, candido, passim. Hæc grandiore nonnunquam folio locis pinguioribus offertur. Et sæpe flore rubra inuenitur. Huic vero speciei folium paulo amplius est priori, præsertim quando locis hortensibus aut culturæ proximis gignitur. Reperitur Galeopseos & alia species, nihil ferme ab hisce differens, nisi quod folia obtineat minora aliquãtulum, acutiora tamen. Est & quarta species, Galeopsis reptilis, quæ magis humi procumbens in superficie terræ direptat, quam in caulem se sustollit. Hæc syluis cæduis frequentissima est. [Vulgo hæc dicitur Milzatella, celebris ad Lienis affectus, flore luteo, folio maculoso.]

HYPERI-

H.

HYPERICON vbiuis. Eiusdem ſpecies minor, breuioribus coliculis prædita, folijs minoribus, pluribusq;.

Hepatica aurea, Trinitatis herba, quibuſdam etiam Anthera, flore cæruleo, paſſim: Rubeo etiam, ſed infrequentius.

Hepatica paluſtris, ſeu Ranunculus πολυάνθεμος paluſtris Dodonæi: in piſcinis.

Hippuris maior, locis quibuſdam montanis humidis.

Hippuris minor ſeu equiſetum: locis pratenſibus quibuſdam humidis.

Hyoſcyamus vulgaris, circa loca habitabilia & culta. Duæ ſunt eius ſpecies, vna folio integro, non diſſecto: altera folio in ambitu in lacinias acutas diuiſo.

Herniaria, Herba Cancri, Millegrana, paſſim iuxta ſemitas, locis aridioribus ac ſalebroſis, collibus item macrioribus. Huius inuenitur ſpecies viticulos plurimos diſpergens, foliis longioribus, non ita confertim diſpoſitis. Reperi quoque tertiam, fruticoſam, viticulis lignoſis, denſiſſimis foliolis oblongiuſculis, breuibus tamen, ſtrictisq; eleganter in extremitatibus obueſtitam.

Helxine ſylueſtris ſeu fluuialis, aut riualis, ſatiuæ Helxines, nobis Parietariæ appellatæ folia obtinens, riuis & vliginibus gaudens, locis opaciorib. frequens circa Stolbergã ac Ilfeldam. Prouenit etiã ad putridos arborum truncos. Duplex vero eſt: Maior nempe & minor, ac vtraq; radicibus nititur geniculatis, villoſis, terram perreptantibus, & ex geniculis ſuis nouas frequenter plantulas protrudentibus: caulibus etiam vtraq; donatur geniculatis, leuibus, non ſemper rectis, ſed vt plurimum diſtortis. Maior caules exerit bipalmares, tenui pube obueſtitos. calami frumentacei craſſitie, virides, ex quorum ſingulis geniculis bina prodeunt folia, ſibi inuicem ad latera

pediculis

pediculis ferme palmarib. ad caulem teretibus, deinde verò imbricatis oppoſita, maiora, orbiculata aliquantum, ſed deinde in acuminatum mucronem oblongius excreſcẽtia, parte ſuperiore viridia, inferiore plumbea, mollia. Floſculos in ſummitate cauliculorũ exhibet in ſingularib. breuibuſq; pediculis racematim diſpoſitos, paruos, ex cãdido leniter ſubrubẽtes, adſimiles cuiuſdam Alſines minoris ſpeciei floſculis. Ijs decidentibus, protuberat capitulum rotundum, hiſpidum, ſeminibus paruis, nigris, ſplendẽtibuſq; turgidum, quæ prorſus Helxines ſatiuæ ſemina imitantur, ijſque paulo ſunt minora. Minor ſpecies huic magnitudine cedit per omnia. Sapor vtriq; eſt ſubdulcis, multum humectans.

Herba Paris, *Vua lupina*, *Solanum* τετράφυλλον, paſſim locis opacis, folijs quatuor. Reperi tamen plantam hanc potiſſimum circa Stolbergam, folijs ſenis præditam, non ſemel.

Hedera terreſtris herbarijs communiter appellata, paſſim multis in locis. Duplex autem eſt, maior cõmunis ſeplaſiarijs, & minor priore elegãtior, coliculis erectioribus, breuioribus tamen, folijs breuioribus, florib. magis cæruleis: Hæcq; iuxta arbores potiſſimum antiquas, cauas ac putridas, locis paulo humectioribus reperitur.

Hederæ ſpecies ſecunda, ſeu Nigra, ſiue Dionyſia, aut Corymbifera.

Hederæ ſpecies tertia, Helix vocata, tam arbores conſcendens, quam in antiquis muris ac ſaxis direptans. Vbiuis ferè.

Helianthemon Cordi, paſſim.

Hippolapathum ſylueſtre, Hydrolapathum, maximum rumicis genus, folio grandi, ſeſquidodrantalis ferme longitudinis. In foſſis humidioribus.

Hieracium maius ſiue Sonchites.

Hieracij minoris ſpecies, Broccenbergo peculiaris (niſi Cichorijs eam aliquis malit annumerare) quæ dodrãtalis vtplurimum plantula eſt, radice nigra, fibroſa: folia diſpergens circa radi-

cem plura, oblonga, acuminata, palmari longitudine, ſeſcuntiali ferè latitudine, ſuffla ueſcentia, hiſpida: quorum maiora in exiguas lacinias dirimuntur, nō tamen in ipſum fōlij medium vſq; diſſecantur, reliqua prorſus parte integra, & exiguas interdum ſpinularum in modum in extremitatib. ſuis appendiculas oſtendentia. Cauliculos ex vna radice depromit plures, dodrantales maxima ex parte, raro altiores, teretes, hiſpidos, ſimplices, quandoq; etiam brachiatos, in quorum ſummo flos luteus cōſtituitur eiuſmodi, qualis eſſe ſolet plātæ Dentis Leonis nomine vocatæ, qui deinde in pappum reſoluitur. Succo lacteo tota plantula oppleta eſt.

Horminum ſylueſtre maius, Sclarea ſylueſtris, flore cæruleo, circa loca habitata & agros. Flore etiam nonnunquam candido, ſed rarius, ſicuti & rubicundo.

Horminum tenuifolium, florum ſpica Hormino conſimile. Hactenus integrā videre non licuit. Afferebatur verò ante biennium ex prato quodam non procul à Styga præfectura Comitum Reinſteinenſium. Eius caules ſeſquidodrātales, quadrati, recti, nonnihil rubentes, & geniculis per longiora interualla interſtincti: ex quibus ipſis appendebantur foliola oblonga, acuminata, anguſta, erythrodani ſylueſtris longiora: ex quorum alis brachiola parua, quadrata & ipſa, geniculata proſilicbant, folijs minoribus ac ſtrictioribus: in ſummo conſiſtebat ſpica trientalis, geniculata, ex oblongis caliculis Hormini ſimilibus flores exerens cæruleos, ſimiles floribus vrticæ fœtidæ, odore aliquo Hormini: ſemina eius quatuor ſimul cohærebant vno conceptaculo compræhenſa, Hormini ſeminibus (quantum ex rudimento ipſorum conijciebam) non abſimilia.

Ιξόκαυλον

I.

Ιξόκαυλον, Heſperis quorundam. Vbiuis in Harcynia frequens, locis aridis. Huius tres ſunt ſpecies. Prior, quam ἰξόκαυλον rubrum appello, propter florū colorem, radicem offert multifidam, lignoſam, fibroſam & agminatim ſæpe ſibi cohærentem, in cuius ſummo ſupra terram diſpergit folia oblonga, palmaria ferè, ſtrictiora tamen aliquantulum, acuminata, inter ſcabrum & læue medio modo ſe habentia, ex viridi nigricantia: caules protendit plures, quandoque ſingulares, teretes, ſtriatos, cauos, geniculis, poſt longiora tamen interualla interuentos (ex quibus ſemper bina prodeunt folia) cubitales, proceriore ſq; ac ſubrubentes, præſertim ſuperiore parte, quaēt cœlo præcipue ſudo, ac ſole calente, viſcoſum adeoq; lentum ſuccum ſibi adhærentem habent. (Inde neſcio qui Viſcaginis nomen huic confinxerunt; ſicuti Harcynici propterea Bechblumen hanc ſtirpem dicunt) vt ſæpiſſime muſcæ paruæ, culices ac formicæ ei non aliter atq; aues viſco implicentur. Circa caulium ſummitatem, ſicut & in ſummo faſtigio eorum, flores proſiliunt faſciculatim ſibi cohærentes, rubri, ex ſingulis pediculis ſinguli, ſimiles illius ſatiuæ Lychnidis ſpeciei, quam Oculum Chriſti nuncupant, ſed minores.

Altera huic conſimilis frequentiſſima eſt paſſim in pratis, caulibus ſeſquicubitalibus, ſtriatis, leuioribus, viſcoſo ſucco prorſus deſtitutis, geniculatis: folijs binis ex ſingulis geniculis prodeuntibus, oblongioribus, candidioribus: floribus ex vtriculis breuib. exertis, rubicundis, laciniatis. Sunt qui Odontin Plinij hanc eſſe velint, ſed non omnes notæ reſpondent.

Tertia, quam ἰξόκαυλον album voco, coliculos profert paulo minores, maiori ſæpe, quā prima, viſciditate oblitos: folia itē

 minora,

minora, ſed aſperiora: florem candidum, laciniatum. Semina, vt & prior, in vaſculis veſicarum inſtar continet oblongis, flauentibus, rotundis in medio ambitu, ſed in acuminatum mucronem in ſummo deuergentibus, quæ ſeminibus maturis dehiſcunt. Sunt qui hanc ſpeciē Ocymoides album faciunt. Harcynici vocant weiſſe Bechblumen. Angli procul dubio hanc, vel nō multum abſimilem plantulam Muſcipulæ ſeu Viſcariæ prioris nomine deſcribunt. Non autē hic delineo illam conſimilem, cuius infra ſub nomine Polemonij mentionem faciam.

Iberis, ſeu Cardamantice Naſturtij folio duplex: altera folijs candidulis aut ſubrubentibus, vulgo flos Cuculi, in vliginoſis pratis: altera folijs oblongioribus, floribus luteis, locis proueniens humectis ac ſquallentioribus circa vrbes, pagos ac villas.

Iuncus leuis aquatitus maximus, prima ſpecies apud Dodonæum: ὁλόσχοινος.

Iuncus leuis vulgaris, ſecunda ſpecies apud Dodonæum: σχοῖνος.

Iuncus λυχνάνθεμος, Stylos continet erectos, in ſummo apice ſpicatum florem proferentes, cuius ratione quaſi Candelæ ardentis figuram exprimit. Species huius potiſſimum tres obſeruaui. Maior thyrſulos ſeu ſtylos profert maiores, craſſioreſq;, calami triticei ferè figura, leues, ſpicato apice, ſuffuluo, (qui florum vicem explet) duarum vnciarum, quiq; ex paleaceis feſtucis ſquammatim compactus apparet. Media ſpecies ſtylos continet multo tenuiores, tereteſq;, ſed non ita perpendiculari rectitudine ſe ſuſtollentes, palmo lōgiores, breuem & vix vncialem ſpadicei ferme coloris ſpicam exhibentes. Hæc poterit dici Iuncus λυχνάνθεμος tenuis maior. Eſtque Broccenbergo familiaris. Tertia, quam Lychnanthemum tenuē nomino, plures ex radice fibroſa emittit iunceos ſtylos, breues, digitales, ſpica perpuſilla, ſpadiceſcenteque in apice

apiceexornatos. Et hæc nuſquam mihi quam in Broccenbergo eſt viſa.

Iris tenuifolia, locis montanis & humectioribus, vff der Langen.

Intybaceorum ſeu Cichoreacorum genera plura diuerſiſſimaq; offeruntur, quorum quædam Harcyniæ fortaſſis peculiaria erunt, quædam paſſim & alijs hinc inde per Germaniam noſtram ſatis vulgaria: vt mirer inter tot præclaros, & de Stirpiū hiſtoria optimè meritos viros neminem hactenus extitiſſe, qui eorum ſaltem aliquot præcipuas differentias, luculentioribus deſcriptionibus donatas, rei herbariæ ſtudioſis, piæquæ poſteritati notas feciſſet. Quāuis autem difficile admodum & laborioſum ſit, tam diuerſas vnius generis, eidemq; aliquibus notis conſimilium aliorum generum ſtirpes, quarum pleræque à nemine hactenus pertractatæ fuerunt, quibusque nulla certa nomina in hoc vſq; tempus extiterunt, dextre deſcribere, ac recenſere: tamen, cum, doctiſſime Camerari, tuæ expectationi libentiſſime aliquo modo ſatisfacere velim, annitar quantum potero, ne aliquam harum ſtirpium ſpeciem, quam in Harcynia iſtiusmodi generis eſſe cognoui, præteream. Quod ſi interim nomina quædam antea inaudita fingenda mihi fuerint, quo ſingulorum ſufficientem mentionem faciam, dabis mihi pro candore tuo ſuper iſto τῷ τολμήματι dignam veniam. Omnia autem illa iudicio tuo, tanquam viro induſtrio, & in re herbaria verſatiſſimo, ſubijcio. Verum iam tandem ad herbarum intybacearum variam & laborioſam enumerationem deſcendo, cui aliquas forte ſpecies non fruſtra Chondrillacearum plantarum, quarum ſupra memini, annumerari poſſe, minime ambigo.

Intybus ſylueſtris, ſeu Cichorium ſylueſtre. Reperitur hoc flore vel cæruleo vel luteo. Illud paſſim ſecus vias circa loca culta familiare eſt, & duplicis differentiæ: Altera conſtat folio prorſus integro, vnciarum duarum quandoq; latitudine: altera in

lacinias disrupto. Istius generis species, rarius tamẽ, aliquãdo flore cãdido sese offert, vt ad Harcyniã circa Vuernigerodã. Species vero, cui flores sunt lutei, passim in tota fermè Harcynia vulgaris est, potissimũ locis pratensib. radicib. cõstans fibrosis, minorib. lignosiorib. & inutilioribus: caulib. brachiatis, bicubitalib. & quandoq; ꝑceriorib. striatis, asperis: folijs paulo asperiorib. & longiorib. quã cui flos est cæruleus. Licet & in hoc genere duplicẽ differentiã animaduertere; alia folijs constat integris, alia diuisis. Illa cui integra sunt folia, rursus foliorũ ratione subdiuiditur. Prima constat caulib. teretibus, striatis, spinosis, asperisq;, frequentib. alis interceptis, candida medulla intus infarctis, folijs oblõgis palmarib. triũ ferè vnciarum latitudine, admodum hirsutis & asperis adeo, vt non pilis, sed spinulis frequentib. durioribusq; horreant, pungantq;. Nascitur potissimum locis asperis & apricis secus vias. Secũda folia obtinet palmaria ferè, aspera parte inferiori, glabra superiori, nisi quod ibi in ambitu exasperẽtur. Tertia minores cõtinet cauliculos, & folia minora, digitalẽ longitudinem non multum excedentia, aspera tamen. Occurrit & quarta, caulib. proceris, brachiatis, striatis, cauis, crassis, folijs palmaribus, duarum quandoq; vnciarum fermè latitudine, in ambitu profundiorib. circumrosionibus frequẽter diuisa, ad similitudinẽ foliorũ plantæ illius, quam Dentem leonis vocant. Porro flores hisce cichorij integrifolij speciebus sunt, vt & plerisq; subsequentib. lutei in summis caulium & brachiorũ cacuminib. constituti, plures, quorum singuli sufulciuntur singularib. suis pediculis, cõsimiles chondrillaceorum stirpium floribus, & in pappos deniq; degenerantes.

Intybus πλατύφυλλος Harcynica. Quibusdã locis Harcyniæ reperitur & veluti eidem syluæ tantũmodo peculiaris videtur. An alibi quoq; oriatur, nescio. Procere admodum assurgit caule prope radicẽ multifidam & dense fibratam, nigrioremq; digitali

gitali crassitie, cauo, frequẽter striato, & per certa interualla cõtinuo ordine folia adnata habente, quæ oblõgo & carinato neruo alicuius pediculi instar ad latera veluti membranulas expansas continet, quæ deinde post palmare ferè spacium semel solũmodo vtrinq; itidem ad latera in oblõgas lacinias dirimũtur, reliquo deinceps corpore existente prorsus cõtinuo, sescũtiali latitudine, explicato & demũ in acutũ mucronẽ ꝑtenso, ac in ambitu veluti exiguorũ aculeorũ rudimẽtis decorato. Referuntq; folia hæc imaginem aliquã Sonchi læuis, & sunt tota mollia, læuia, subnigricantia. Flores profert in summitate caulis in oblõgo scapo frequẽti ordine se subsequentes, plurimos, singularib. pediculis nixos, cæruleos, qui mox in pappos postea resoluũtur. Reperitur & hoc genus interdũ flore prorsus cãdido, sed hoc infrequẽtius, eiusq; folia in plures lacinias, quam prior, discinduntur. Copiosa est ad Broccenbergum, & in montibus vicinis, vt & in principatu Grubenhagico, montibus nimirum humidioribus.

Sequuntur nunc alia intybi lutei, Harcyniæ (sicut & alijs plerisq; syluis) familiaria genera ac differentiæ.

I. *Intybi quædam species*, in hoc genere maior, caule procero, bicubitali ferme, striato, cauo, splendenteq;, quẽ mox atq; à radice prosilit, in cacumẽ vsq; per certa interualla cõscendunt folia oblonga, frequentia, medio tenus duas quodammodo vncias lata, acuminata, leuia, splendentia, ac in ambitu adnatis quibusdam veluti spinulis donata, carnosa, nigricantiaq;: vbi vero in summo caulis in brachia dirimitur, in singulo pediculo singuli flores emicant lutei, Chondrillæ similiores, quam Cichorio luteo syluestri paulo ab hinc posito. Gaudet locis apricis & cæduis.

II. Eiusdẽ minor species, cauliculo rotũdo, tenuiori, folijs breuiorib. itidẽ nõ dissectis, vncias duas lõgis, vnã latis, in ambitu ẽt adnatis tenuib. spinularum instar exornatis. In Ericetis hanc animaduertere licet.

III. Eius-

III. Eiusdem quasi generis crebro alia se offert, cauliculis teretioribus, breuioribus, rectis vt plurimum, sæpe etiã brachiatis: folijs minoribus, oblõgioribus, strictioribus, nigricantioribus, carnosis, læuibus, quæ frequentius caules amplexantur quam in prædictis duabus. Ericetis & hæc communis est.

IIII. Porro in aliam huic generi aliquo modo confinem incidere sæpenumero contingit, quæ simpliciori cubitaliq; coliculo, tenui, tereti striato, subasperoq; prosilit, cui iuxta radicẽ tria quatuorue folia oblonga, nẽrij ferme figura, sed breuiora appenduntur, quæ inferius sunt asperiora, superius vero læuiora, pluribus exiguis in ambitu spinulis ijsq; euidenter pungentib. post quæ per reliquum caulis alia subsequũtur, hisce minora, vnciamq; nonadmodum excedentia, sed magis in acutum mucronem prominentia. Flores profert in summitate coliculi, vbi is in aliquot petiolos dirimitur, singulares, luteos, cichorij lutei paulo minores.

V. Intubi insuper alia species maior creberrimè passim conspicitur, & ipsa huic generi fortasse non temere annumeranda: quamuis aliquis Pilosellæ speciem eam esse contendere posset, omnes plantas folijs pilosa lanugine præditas Pilosellarũ nomine recensens. Radix huic est multifida, fibris candidis frequentibus plena, caulis rotundus, striatus, pilosus. Veris initio prodiẽs folia in terræ superficie exerit quatuor, quinq; vel sex, mollia, orbiculata, vnius duarumue vnciarũ, pilosa, potissimum in ambitu & parte inferiore. Postea planta caulescente superadduntur in oblongiorib. pediculis folia maiora multo, digitali longitudine, triumq; in medio latitudine, viridia, carnosa, asperiora prioribus, maxime in dorso, minusq; paulo hispida, & quandoq; omni lanugine prorsus destituta, in ambitu angulos plures obtinentia, ad quorum extrema aculeorum paruorum in modum acuti apiculi destituuntur. Caulis vero per reliquam seriem folijs itidem istiusmodi

modi sed pauciorib⁹ exornatur: estq; cubitalis procerior q;, rectus, striatus, hispidus, qui circa summum cacumen in aliquot brachiola diuiditur, quorum singulis singuli producũtur flores lutei, pappacei, Cichorio luteo minores.

VI Cognata huic rursus alia occurrit passim frequens, radice breui, fibrosa, caule cubitali ac proceriore, sæpe bicubitali, recto, tereti, striato, piloso, aspero, mediocriter crasso, prope radicem rubente, cauo, singulari vt plurimum, quandoq; circa summum fastigium in brachia digesto: Folia caulem ambiunt frequentia, continuo ordine se inuicem subsequentia, carnosa, vnciarum duarum latitudine, trium quatuorue longitudine (quo tamen radice propinquiora sunt, eo hanc longitudinem magis excedunt) acuminata, nigricãtia, læuia, superiore potissimum parte, inferiore cinerea parumq; pilosa, appendiculis quibusdam oblongiusculis, spinulas æmulantibus, in ambitu exornata. Flos est Cichorij syluestris, luteus. Sapore donatur parum amaro, euidentius vero astringente. Gaudet Ericetis ac locis apricis.

VII. Iamdictæ media species non raro reperitur locis apricis, caule cubitali, nõ ita recto, sed magis distorto, brachiato, folijs paucioribus, strictioribus, longioribusq;, vnciali latitudine, quatuor vero quinumue vnciarum longitudine, adnatos habentibus in ambitu, veluti exiguos aculeos, paucosq;, flore Cichorij lutei syluestris papposo.

VIII. Minor dupliciter differt. Prima caule assurgit sesquipedali, tenui, tereti, non semper recto, aspero, hirsuto: folijs ab ima radice ad summum vsque cacumen circundato frequentibus, strictiorib. adhuc quam iamdictæ, oleæ folia, nisi quod ijs multo sint minora, imitantibus, trium prope radicem vnciarum longitudine, sesquntiali latitudine, quæ quo magis in caulis verticem contendunt, eo breuiora redduntur, carnosis, nigricantibus ac læuibus parte superna, inferna pilosis &

candicantibus, in ambitu nihil neq; ſpinularū neq; ſinuum continentib. Faſtigiū caulis in aliquot brachiola diducitur, quib. flores lutei, Chondrillacei continentur. Sapor huic eſt aſtringens. Altera ſpecies paulo breuior, cauliculo exurgit lignoſiore, rubente, diſtorto, in brachia diſcreto, foliis prope radicem vnciali latitudine, trium vero longitudine, mucronatis, quæ poſtea per reliquum caulis alia frequentiora cōſequuntur ipſum denſa acie ambientia, ſemunciali vix latitudine, duarum autem longitudine, licet & hæc eò minora, ſubinde reddātur, quo magis caulis faſtigio appropinquauerint. Hoc diſcriminis aūt folia hæc potiſſimum habent, q̄ nō adeo exactā oleæ foliorū figurā exhibeant, vt præcedentis plantæ, ſed quoſdam veluti ſinus incuruos in ambitu ſibi impreſſos habeant. Ericetis potiſſimum delectatur.

IX. *Intybus* ἀφυλλόκαυλος. Radice conſtat parua, nigra, quam circumambiunt radiculæ tenuiores, plures, oblōgiores, incurnæ ac luteæ. Folia circa radicē emergūt plura, nouē videlicet, decē aut duodecim, quicūciali ferme lōgitudine, ſeſcūtialiq; latitudine, viridia, aſpera, explicata, obtuſius acuminata, ex quorū medio caulis progreditur cubitalis, ſingularis, calami frumentacei craſſitudine, rectus, ſtriatus, intrinſecus cauus, foris aſper folijs prorſus deſtitutus, in cuius cacumine veluti in denſiori ſpica agminatim plurimi parui flores lutei ſuſtolluntur, ſinguli pediculis breuibus ſingularibus innitentes, Chondrillarum ſpecie, qui poſtea in pappos dehiſcunt. Loca expetit aprica ac cædua circa Gerenrodam maxime.

X. *Intybus* ἀφυλλόκαυλος minor. Radix eſt illi oblōgiuſcula, mediocris, folia in ſupficie terræ octona, nouena, denaue, ſeſcūcialia lōgitudine, latitudine vncialia, orbiculata ferè, aſpera, ex quorū medio exurgit caulis rectus, ſtriatus, teres, in ſummo ſingularib. pediculis paucos cōtinens orbiculatos flores luteos, pappoſos. Locis apricis & cæduis potiſſimū reperitur, maxime circa Gerenrodam.

XI. *Intybus*

XI. *Intybus nigrifolius, lanuginoſus.* Hanc ſtirpem libenter cum præcedenti ἀφυλλοκαύλῳ minore, verbaſci generib. aſcriberem, nominarem q̄; Verbaſcū πασσάνθεμον, niſi ſuccus lacteus, quo vtraq; cōtra Verbaſcorum naturā turget, ſuaderet, vt potius intybaceorum generib. adiungerem. Radix ei eſt nigra, multifida: nō profunda: folia in eius ſuperficie emittuntur in oblongioribus & canaliculatis pediculis ſeſcuntiali longitudine, vnciali latitudine, paralyſeos foliis ſimilia, ſed minora, nigra ſuperius, inferius cana lanugine obducta, quali tergū foliorum populi albæ. Folia autem caulis, quamuis numeroſa non ſint, longiora ſunt, trium vnciarū & quandoq; amplius, ſtrictiora vero, ſemūcialis latitudinis, quorum ambitus verſus dorſum retorquetur. Caulis ei eſt cubitalis, mediocriter craſſus, ſtriatus, niger incana lanugine obueſtitus, in cuius ſummo peculiarib. pediculis parui orbiculati flores, pappoſiq; continentur, quorum interius capitulum oblōgiora foliola inſtar chryſanthemi florum ambiunt. Locis apricis inuenitur, cæduis, ac collibus ſoli meridiano expoſitis.

XII. *Intybi ſpecies alia,* foliis circa radicem nigram & diſtortam ſparſis quinque ſex vel ſeptem magnis, in oblongioribus pediculis, quincunciali longitudine, latitudine vero vnciarum duarum, & quandoq; trium, amplioréue, piloſis, aculeos paucos in ambitu habentibus: caule tereti, ſtriato, ſeſquipedali, vix vno atque altero paruo folio prædito, qui tandē in paruos petiolos in ſummitate diuiſus flores producit tres, quatuor vel quinque, aut quandoque plures, luteos, pappaceos, cichorij ſylueſtris communioris floribus ſimiles.

XIII. *Intybus vliginibus familiaris.* Radice nititur parua, candidis fibris circundata, plurimis. Caule aſſurgit ſatis craſſo, cauo, anguloſo, bicubitali ſæpe, brachiato, florib. luteis pappaceis, plurimis, qui peculiarib. ſinguli pediculis inſident. Folia à radice prodeunt magna, dodrantalia; triū vnciarum latitu-

dine, læuia, flauentia, mollia, in ambitu leniter excisa, ac aculeis veluti quibusdam paruulis armata. Caulis consimilibus præcingitur foliis, sed pauciorib. In vliginosis Broccenbergi frequens est, & opacis: reperitur & in consimilibus locis circa Stolbergam.

K.

Κ Ραυρόφιλον. In aridioribus colliculis & marginibus æstate frequens: radicula furcata, breui, candida, ex qua vt plurimum exurgit cauliculus pedalis aut sesquipedalis interdum, singularis, quandoque etiam alios à latere sibi adiunctos habens, tenuis, teres, scaber, rectus, geniculis quibusdam per interualla multum inter se dissidentibus interceptus. Folia circa radicem numerosa erumpunt & aspera, nigraque, humi procumbentia, quæ ex oblongis pediculis incipientia in orbicularem rotunditatem desinunt, vnciali longitudine & latitudine: ex geniculis cauliculorum strictiora educuntur & oblonga, plura simul iuncta, ex quorum alis subinde prosiliunt noua brachiola, in quorum apicibus exeruntur itidem ex tenuibus geniculis florũ corymbi elegantes, qui flosculos paruos, muscosos, viresçentes plurimos edũt, singulis suis propriis incumbentes, ijsque admodum exiguis petiolis, quibus tandem emarcescentibus ex caliculo ipsorum prosiliunt rotundiuscula capitula, seminib. nigris exiguis turgentia. Hæc dum scribo, opportune mihi incidit, Anglos hanc plantam aut prorsus congenerem describere, licet imperfectius, nomine Muscipulæ seu Viscariæ alterius. [Sesamoidi maiori Salmantico Clusij sola magnitudine cedit, non tamen est minus eiusdem Sesamoides.]

L.

Leucoi lutei syluestris species, folijs circa radicem candidam & lignosam multis longis, dodrantalib. tenuioribus hortensi, asperis, nigris: cauliculis quandoque simplicibus, quandoque pluribus, tenuibus, striatis, bicubitalibus sæpe, aliquantulum incuruis, qui quandoque folioſi prorsus reperiuntur, quandoque paucis, exiguis & strictis foliolis præditi: flosculis Leucoij lutei hortensis, paulo tamen minorib. & pallidioribus, siliquis longis, tenuibus. Nascitur collibus apricis, saxosis, aridis ac asperis, plurimum in montibus Gerẽrodæ vicinis, alijsque meridiei expositis.

Leucoium bulbosum Theophrasti seu Narcissus albus. Weißhornungs Blumen, seu Schlangen Blumen / passim.

Leucoium montanum: In Consteino monte ad Saxuuerfam pagũ supra Northusam versus Ilfeldam. Est vero hoc Thlaspi paruum Hieracyfolium seu Lunaria lutea Monspelienſium apud Petrum de Pena & Matthiam Lobel.

Liliago Cordi, aliquib. pro Phalangio habita, cum potius quantũ ad extremam faciem, aliquam syluestris Asphodeli speciem referat, licet radice bulbosa non constet. Eius radices hodie plurimis locis copioſe eruuntur, ac hinc inde pro veri Ruſci radicibus ὑπὸ τῶν ῥιζοτόμων diuenduntur: vnde multa pharmacopolia non sine insigni errore easdem pro Ruſco itidem reuendunt, cum tamen vtriusque radicum sapor vniusmodi non sit. Hoc medicos quosdam animaduertere oportebat, nec adeo temere imperitis herbarijs ac pharmacopæis plerisque fidere, & ignotas res cum euidenti damno pro rebus notis & exploratis miseris ægris propinare: modo plures essent, quos rei herbariæ (in qua certe multum, quo ad delectum simplicium præsertim rerũ, positum esse ego prorsus ἀναμφισβήτητος ἔχω) studio maiorẽ operam diligentioremque ponere,

quam, contra medici dignitatem, poculis cum alijs Epicuri porcis decertare, & scurrarum quandoque in aulis ac apud nobiles sese instar habere minime puderet, pigeretque.

Nascitur vero planta hæc copiose circa Gerenrodã, item inter Vuernigerodam & Elbingerodã. Eius duæ species sunt: altera maior, folio longiore, pauloque latiore, capitulo magis triquetro, in quo semina continentur etiam paulo maiora: altera minor, cui omnes partes sunt minores, strictioraq; folia.

Lysimachium purpureum primum Dodonæi, species videlicet maior prima in hoc genere: alijs ἐπιλόβιον dicitur, seu Filius ante patrem: flore maiori violaceo purpureo: ad ripas et amnes

Lysimachÿ maioris purpurei secunda species, caule bicubitali, folijs maioribus, quincunciali fermè longitudine, duarumque latitudine, in ambitu serratis: flosculo paruo, pallidius rubente.

Lysimachÿ huius medium genus: omnia continet minora, quod & ipsum in aliquot species discernitur: alteri folia sunt vncias duas longa, vnam lata: alteri folia strictiora, vnciarum vero trium longitudine: rursus alij flosculi sunt rubicundiores in hisce speciebus, alij ex rubicundo pallidiores, alij rursus prorsus candidi.

Lysimachÿ autem huius generis in Harcynia speciem quandam hactenus nondum vidi: sed tamen alibi in locis vliginosis syluestribus ac in arundinetis etiam quibusdam non infrequenter: cauliculis scilicet pedalibus, foliolis angustis, oblongis: flosculo suppallido ex rubro, paruo. Cæterum harum stirpiũ aliquot iam sub Lysimachiorum nomine compræhensarum olim Cordus etiam obseruauit, ac differentiis peculiaribus distinxit, appellauitque eas omnes Neriadia, ob similitudinẽ quam habent cum nerij foliis.

Ac præterea huius stirpis generis omnium maxima erit illa

illa planta quam Cordus postea Chamænerium vocauit, cuius superius fecimus mentionem.

Lysimachÿ purpurei nomine vulgo quibusdam herbarijs existimata planta, quæ est Pseudolysimachium Dodonæi: passim in ripis fluuiorum, locis item montanis, vdis ac pratensibus.

Lysimachium luteum, frequens locis vliginosis.

Libanotis Theophrasti altera apud Dodonæum, Matthiolo pro Seseli Aethiopico habita. vulgo Ceruina maior seu alba. Circa Gerenrodam, Vuernigerodam, item vff der Langen.

Libanotis alba minor, seu amara, radice crassa, multifida sæpe, candida, amara: caulibus bicubitalibus interdum, brachiatis, firmis, angulosis: foliis, quæ oblongæ costæ constituunt, amplis, latis, profunde crenatis seu dentatis: floribus in densa vmbella candidis, odoratis. Poterit hæc quoque in suas species distribui: nam altera latioribus est foliis, profundius dentatis: altera contractioribus & frequentius succinctiusque incisis. Radix resinoso succo turgens, thus spirat, flauescit ac amara est. Cum hac plerisque notis congruit descriptio Dauci anguloſi, apud Cordum, cuius tamen radicis sapor acris est, non amarus. Libanotidem vero hanc amaram eodem nomine Cordus descripsit in illo τῷ ἀυτοχθόνῳ cuius paulo ab hinc superius mentionem feci.

Libanotis nigra, communiter Ceruaria nigra, quod ei radix sit nigrior, quæ saporis est non amari vt prior, sed acris. Copiose circa Gerenrodam, Ilfeldam, Vuernigerodam, vff der Langen &c. Est vero secundum Dauci genus apud Tragum.

Libanotis νάρθηκοειδὴς, *Libanotis Ferulacea tenuifolia maior*, Elegãs est plãta, radice cõstans digitali, eiusdẽq; ferè crassitiei, nigra forinsecus, succo resinoso prædita, odorata & acri, circa summũ nigris capillamẽtis obsita, vbi aliquot dodrantales emergunt costæ, foliis tenuib. strictis, plurimis exornatæ, ferulaceis seu fœniculaceis, ijs tamẽ breuiorib. Caulis è medio exurgit sesquipeda-

quipedalis, in cuius ſummo conuexa vmbella circa autumnum erumpit, odorata, floſculis candidis plena. Hæc vero ſpecies rarius reperitur. Minor frequentius: radice conſimili minori, coſtis multo breuioribus, ſicuti & folijs & caulibus. Aeſtate media prorumpit flores ſuos circa autumnum exhibens. Vtraque collibus apricis, arboribus deſtitutis, & ſolo firmiore gaudet.

Λινόκαρπος. Plantula elegans, radice tenui, admodum exigua, inutili, lignoſa, candida: ex qua emergunt innumeri ſæpe coliculi, tenues, ſplendentes, teretes, læues, dodrantales, raro altiores, quibus ſemper per certa interualla adduntur bina foliola, quæ prope radicem rotunda ſunt & parua, magnitudine lentis vulgaris: reliqua deinde ad ſummum vſque coliculi longiora ſunt, lenticulæ ferè foliis ſimilia, viridia, læuia ac ſplendentia. Coliculus in ſummo in tenuiſſimos, paucos pediculos diuiditur, in quorũ ſingulis floſculus exiguus lacteus emicat, quem decidentem ſequitur capitulum paruum lini ſimile, ſed triplo aut quadruplo minus. Vnde cum alio nomine plantula hæc mihi innoteſcere non potuerit, linocarpum eam dicendam iudicaui. Reperitur frequens in collicu lis aridioribus locis opacis, & arborib. carentibus inter gramina. [Linum ſylueſtre exiguum, in hortorum areolis ſæpe prorumpens.]

Lamſana Dodonæi duplex: aut foliis prorſus integris: aut in lacinias aliquot diſſectis.

Lonchitis aſpera, copioſiſſime circa Andersbergum vrbem metallicam, & in comitatu Honſteinenſi: item circa Broccenbergum: vbi etiam loco prorſus Septentrionali in vmbroſa valle ac vliginoſa gignitur.

Linaria communis, vbiuis.

Linaria montana ſeu ſyluatica. Planta hæc locis montanis, apricis, ac meridiei expoſitis maxime conſpicitur, lino foliis aſſimilis,

lis, paulo anguſtioribus, ex viridi flaueſcentibus. Cauliculos erigit rectos, tenues, ſtriatos, qui inter foliorum alas non ſolum in cacumine, verum etiam multo quandoque inferius brachia exerunt multis tenuib. pediculis abundãtia, in quorum ſingulo floſculus apparet exiguus, candidus, quem pereuntem ſequitur flaueſcens capitulum rotundum, lini capitulo pene aſſimile, ſed longe minus.

Liguſtrum, Phillyræa Dodonæi, Cyprus Matthioli, circa Gerenrodam & Vuernigerodam.

Lilium conuallium, paſſim.

Lenticula aquatica, in foſſis ſtagnantib. & paluſtrib.

Lichen, Hepatica officinarum: ad ſaxa fonticulorum & alias locis humectis.

Lichenis aliud genus, Ἐρίον ſeu πλάγχνον Dodonæi Tom. I. cuius variæ differentiæ paſſim cernuntur, eæq; aut humi natæ, aut ſaxis adhæreſcẽtes, aut truncis arborum putridis adnatæ, nonnunquam & in Ericetis prodeuntes: quas omnes ſigillatim deſcribere operoſum admodum eſſet atq; difficilimum. Potiſſimum vero in illis hæc diſcrimina obſeruare licet, vt alijs ſint folia latiora, alijs tenuiora, potius veluti capillamenta, miro ac eleganti naturæ luſu inuicem ſibi implexa, intortaque. Color item alijs eſt nigricantior, alijs flauentior, alijs cinereus magis, alijs candidulus, alijs nonnihil ex nigro ſubrubens. Circa Anderſbergum in arboribus, quæ ventorum ſæuitia deiectæ tandem diuturnitate temporis ſemiputruerunt, reperitur huius generis ſpecies, non admodum ſibi implexa, nec late explicata: ſed ſingularibus tanquam oblõgioribus, duarum nempe vnciarum, tubulis candidis conſtans, erectis, in quorum ſummitate protuberat capitulum, minij vt plurimum coloris, nonnunquam etiam atri.

Lagopus vulgaris, paſſim circa loca culta, in aruis.

Lathyrus ſylueſtris floribus luteis: paſſim locis cæduis ac pratenſibus.

Lathyrus ſylueſtris maior ſeu purpureus, caulibus quadratis, procumbentib. in membranoſam latitudinẽ, (vt Dodonæus de ſuo Lathyro ſylueſtri inquit) diductis, viciniſq; arbuſtis ac vepribus ſeſe implicantib. foliis Dodonæi maiorib. ac longiorib. trium vnciarum nimirum, ac ſeſcuntiam latis: flore maiori, punicante, ſiliqua longiore. Naſcitur viui radice profunde demiſſa, longaq; inter arbuſta & vepres.

Lunaria minor botryitis, circa Stolbergam.

Lunaria botryitis πολύφυλλος. Hanc ante aliquot annos copioſam in montium quorũdam iugis ſummis circa Anderſbergum reperi initio veris, iam ſub niuibus, Fauoniorum flatib. colliqueſcentibus prorumpentem, radiculis paucis, multifidis, tenuib. ac luteis: coliculo primum rotũdiore, luteo, palmari ferè, in brachia diducto, quæ gemino latere iterum brachiata, vtrinq; folia lunata, flaua, ſecuricularum inſtar continent, ſed breuiora quam in priori: deinde alium prope radicem coliculum exurgere obſeruaui, (& forte plures prodeunt inde) eodem modo foliatum & brachiatum. Medio loco inter hos coliculos thyrſulus exoritur racemoſus.

Lunaria Græca, Viola latifolia, ſiliquis non orbiculari ambitu circumſcriptis, ſed oblongioribus. Circa Stolbergam & Vualkenridam monaſterium. [Perenni eſt radice & floribus albicantibus, odoratis.]

Lithoſpermum virgatum, viticulis ſuis humi repens & in caulem procerum non aſſurgens, floribus in cæruleo eleganter purpuraſcentibus. maioribuſq;, foliis longiorib. & ſtrictioribus. Circa Ilfeldam.

Lithoſpermum alterũ fruticoſum in Harcyniæ vicinis quidẽ montibus non infrequens eſt verſus meridiem ſitis: In ipſis vero Harcynicis nondum vidi.

Lactuca

Lactuca ſylueſtris Cordi ac Tragi.

Lactuca ſylueſtris ἐρυθράνθεμος. Planta hæc eſt procera, bicubitalis & quandoq; amplior, caulibus teretibus, læuibus: folijs conſimilibus ferè Italico Behen rubro, ſed multo longiorib. (vtpote dodrantalibus ſæpe) ac latioribus etiam, nõ ſcabris, ſed leuibus ac angulos veluti quoſdam habentibus, parte ſuperiori ex flauo nigricantiorib. inferiore vero plumbeis ac aliquomodo cum Perfoliatæ ſylueſtris foliis conferendis. Flores ſunt ijdem qui Behen dicto, punicantes videlicet ex caliculo oblongo anguſtioris calathi figuram referente, ex foliolis conſtantes tribus, recuruis, ac in extremis oris laciniatis, ex quorum medio eriguntur tria oblonga ſtaminula rubentia, parte ſuperiori flauo puluiſculo oblita. Floribus hiſce in pappos abeuntib. apparent ſemina oblonga, chondrillacea, ſubalbida. Radice ſuſtentatur craſſa, nodoſa, circũdata multis propendentib. oblongis ac mediocriter craſſis (teneriorũ radicularũ inſtar) adnatis. Plãta tota lactea eſt, ſapore moderate dulci, tãdem ad aliquam amaritudinẽ leniter declinante, quã ſubſequuntur poſtremo aſtrictio atq; exiccatio. Monte quodam prope Stolbergam (iugum Harcynicũ vocãt, die Harzhöhe) copioſa eſt. Vidi eandem crebram mõtes Semanæ ſyluæ in principatu Hennebergenſi producere.

Lilium purpureum ſylueſtre, falſo pro Aſphodelo habitum. Goldwurtz, paſſim.

M.

MOLLVGO montana Dodonæo dicta libro de purgantibus, quæ plãta eſt de genere rubiarum ſylueſtrium, Alyſſon Plinij à quibuſdam exiſtimata: caulibus multis, cubitalibus, & ſæpe maiorib. ramoſis, teretib. procumbentib. vitigineis, geniculatis, ex ſingulo geniculo foliis erũpentib. oblõ-

gis, angustis, glabris, subnigricantibus, cauliculos & ramulos radiorum stellatorum in modum ambientibus: floribus in singulis pediculis candidis, paruis, inodoris. Radix ei (vt Dodonęus in sua planta requirit) parum nigricat, quin potius ex flauo rubet.

Malua sylvestris pumila, foliis rotundioribus.

Eadem, foliis latioribus prope Vuernigerodam, solo videlicet pingui.

Malua sylvestris maior, folio in ambitu diuiso & sinuato.

Muscus reptilis seu scansilis, Beerlappen. In Broccenbergo & locis vicinis: item in montib. quibusdam circa Aurbergum non procul à Stolberga.

Marrubium montanum alterum, Stachys Dodonæi, caule quadrato, cubitali, lanuginoso: foliis inferioribus quincunc ialibus, trium vnciarum longitudine, incanis, quib quæ in summum vsq; caulis conscendunt minora sunt: florib. verticillatis, rubris, circa Gerenrodam. Hanc Marrubij montani secundam speciem statuo. Ea autem quæ prima eius generis est, montib. asperis ac meridionalib. gaudens, caule tricubitali sæpe, foliis longioribus. sed nõ ita latis, hactenus in Harcyniæ montib. mihi visa non est.

Marrubium nigrum, Ballotis assimile: alterum foliis paulo maioribus. alterum minoribus.

Marrubium aquaticum, Matthiolo Sideritis prima, passim in aquosis.

Marrubium χαμαιπιτὲς, Planta ex Marrubiorum genere in aruis præcipue quiescentib. aut alias demessis frequens: caulibus ex vna radice pluribus exurgens, palmarib. ferè, quadratis, in terram reclinatis: foliis semper geminis caulem amplexantibus, sescuntialibus circa terram, alias vncialibus, rotundis, in ambitu profundius incisis, similibus ferè

ferè folijs Geranij secundi seu pedis columbini: floribus purpureis Ballotes, quæ primũ in verticillorũ osculis instar paruulorum capitulorum conuoluta emicant, deinde explicatæ oblõgiuscule exeruntur, veluti Ballotes flores: odore aliquo marrubij. [Ballote crispa Lugdunensium.

Myrrhis Broccenbergensis, radice crassa, profunda, nigra: caule sesquicubitali, cauo, hirsuto, quem folia nigriora palmari ferè pediculo, eoque imbricato amplexãtur membranea veluti vagina, similia Myrrhidis Italicæ seu Apij alicuius multũ incisi: è membranearum autem vaginarum medio, exoritur subinde alius eodem modo foliosus pediculus, qui tandem vbi folia ei esse incipiunt, aliam pecularem vaginulam protrudit, ex qua deinceps prorumpit densa, orbiculataq; vmbella, duas vncias non multum excedens, conferta exiguis floscul is candidis, muscosisq;. Semina mihi visa nondũ sunt. Loco vliginoso fruitur.

Myriophylli species coliculis fluitantibus, imbecillis, longis: foliis plurimis ab radice vsque in cacumen donatis, strictis, oblongiusculis, teneribus, capillamentorum instar, squallidioribus, flore candido, ranunculi. In piscinis.

Millefolium: passim.

Μονόφυλλον, vnifolium. Passim. Illud autẽ quod baccas profert, vltra vnius anni ætatem est, & duobus constat foliis. Alterum vnico, prioris anni plantula. Simul tamen vtrunq; reperitur eadem radice natum.

Mercurialis mas sylvestris, Cynocrambe, in syluis opacis.

Mercurialis sylvestris fœmina: Raro, locis opacis.

Matrisyluia vulgaris, Waldmeister/ Asperula Dodonæi ac Rubia syluatica aspera Gesneri: passim.

Malus sylvestris.

Muscus arboreus ac Saxorum, multiplici differentia, quæ magis assidua ac præsenti inspectione animaduerti, quã descriptionibus

nibus tradi possunt. Omnium ferme color viridis est, quibusdam fuscidior, nonnullis flauescens, alijs subrubeus. Vnicum autem musci arborei genus præcæteris elegans alibi hactenus quam in Harcynia non conspexi. Hybernis temporibus reperitur maxime vegetũ, vt & veris initio, late obductũ Fagorum plerunque corticib. et denso cespite cõstans. Folia eius vulgari arboreo musco lõge sunt tenuiora, elegantiora, Corallinæ nonnihil æmula, tota spadicea, eleganter crispata, & mire sibi inuicem implexa, odorata etiam. Huncautem muscum in tota Harcynia alibi non obseruaui, quam circa Stolbergam & Ilfeldam. In Broccẽbergi præterea iugo musci candida in vliginibus species nascitur, capillaceam quandam veluti substantiam foliorum loco habens, eamque suis pediculis dense circumuolutam, capitulum continens pusillum, cymbali versus superiora patentis figura, coloris spadicei.

Moschatella Cordi. Andersbergi ad fonticulorum scaturigines quasdam. Item Stolbergæ in prato quodam Hainfeldico.

Myrtus tenuifolia. Copiose reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem Broccenbergum montem versus, quam nominant den roten Bruch/ hoc est Vliginem rubeam, quod totus ille vliginosus tractus sub radicibus Broccenbergi, & vicinorum montium rubro musco plenus sit, qua videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam versus. Fruticulus est lignosus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiusculis, vncialibus, myrti folijs angustioribus, quorũ extrema plerunq; in tergũ cõtorquentur. In exiguis recuruis pediculis pfert circa autumnũ flosculos paruos, rubicũdiusculos exalbo. Fructũ nunquã adipisci potui: cumq; sero admodum floreat, eo aũt loco, vbi nascitur, hyems citius, quàm alibi, incipiat, citius etiã grandiores ibi niues cadant, opinor raro eius maturos fructus haberi posse. Cognatũ forte quid cum hoc habet

habet fruticulus ille exiguus Cordi, folijs myrtinis, quem in sua sylua obseruationum describit, pag. 221. a. §. 3.

Myosuron, quorundam Holostium: in agris, ad promontoria Harcyniæ, non procul à Northusa.

Melampyron Dodonæi, cuius passim variæ species obseruantur. Prima caule constat quadrato, late brachiato, foliis inferiori parte maioribus, quatuor vnciarum latitudine, sescuntiali latitudine, acuminatis, lacinijs prorsus carentib. floribus parte inferiori candidis, rictu autem hiante, (quem veluti ipsi aperti exprimunt, vnde ex vulgari idiomate passim oris vaccini nomine stirps hæc habetur) seu parte superiore, melinis. Secunda itidem constat brachiato caule, foliis acuminatis, integris, vnciali latitudine, trium longitudine: floribus ex albo viridique mistis. Tertia consimilis caulibus & folijs est secundæ, floribus melinis, in summo albentibus. Quarta paulo præcedente minora habet folia: flores vero ima parte punicantes, superiori melinos. Quinta folijs constat duarum vnciarum longitudine, & aliquid amplius, vnius vnciæ latitudine, in ambitu vt plurimum laciniatis: floribus infima supremaque parte punicantibus, media autem candicantibus. Sexta species est angustifolia, caule constans singulari, folijs longiusculis, integris, strictioribus spica florum cæteris minori, floribus parte superiore rubentibus, inferius melinis.

N.

NASTVRTIVM montanum. Duplex est: Maius radice tenui, lignosa, multifida, fibrosa: pediculos in superfice terræ emittens oblongos, numerosos, palmares, plurimis foliis vtroq; latere sibi correspondentib. exornatos, similib. Nasturtij satiui primum à satione prodeuntis, antequam videlicet caule-

caulescat: caulem proferens sesquipedalem, frequenter brachiatum, foliis item in oblongioribus pediculis eodem modo dispositis, sed oblongioribus, acuminatioribus, vncialibus ac incisis, flauescentibus: flores ei sunt plurimi, pauci, quos subsequuntur siliculæ tenues, longiusculæ, semine citrino nasturtij paruoque plenæ. Minor simpliciori nascitur coliculo, foliis autem maioribus prædito, longioribusq;, acuminatis, flore melino: consimilis pene prorsus Iberidi secundæ supra indicatæ, nisi quod folia huic sint leuiora & splendentia. Rarius autem species hæc occurrit.

Nasturtium hybernum, Flos S. Barbaræ, Pseudobunias Anglorũ, Barbaræa Dodonæi.

Nasturtium syluestre, Thlaspi angustifolium Dodonæi, crebris constans cauliculis, palmaribus & brachiatis: prorsus simile satiuo, nisi minus in omnibus. Locis aridioribus ac squallidioribus circa vrbes, pagos, mœnia ac sæpes.

Nymphæa lutea, in piscinis.

Nymphæa alba: copiosè in piscinis Vualkenridensibus.

Nummularia: passim locis humectis.

O.

OLSENICHIVM, quibusdam loco Mei habitum; locis humectioribus, sed rarius, vt plurimum tamen vff der Langen.

Orobanche: in Aurbergo & prope Gerenrodam.

Orobus Syluaticus vernus. Planta hæc πλαγιόκαυλος est, dodrantalis, pauloque altior, radicibus multifidis, filamentosis: caulibus quadratis, striatis: foliis in costa oppositis, aracolatioribus, longioribusque, hederæ ferè corymbiferæ similibus (vnde quandoque Orobum cyssophyllum voco) sed minoribus, tenerioribusque, longitudine, vncias duas excedentibus, latitudine

titudine sesquntialibus quandoq;: floribus initio veris ex cæruleo purpurascentibus: siliquis oblongiusculis, vncias duas superantib. quib' semina continentur solida, rotunda, subrubentia. Hæc plãta, licet cum Oroborum descriptionib. non admodum cõueniat, tamẽ aliis stirpiũ generib. non cõmode cõiungi potuit. Georgius Aemilius, Theologiæ doctor, contendebat Astragali speciem esse, vocabatq; Astragalum syluaticũ Vernum, quia quasdam appendiculas paruas in radicib. animaduertisset: quæ tamẽ nota multis leguminib. tam hortensibus quam syluestrib. item trifoliis ac Neriadijs, seu Lysimachijs purpureis, alijsq; stirpium generib. eiusmodi paruula ac crebra tubercula in radicum fibris appensa cernantur. Doctissimus porro vir Laurentius Hiel, rei herbariæ in Academia inclyta Ienensi olim professor celeberrimus, hanc Aphaces speciem ex aliorum sententia faciebat, Aphacen syluestrem nominans. [Plerisq; siliquiferis plantis hæ radicum appendices granulosæ communes sunt, adeo vt grandis illa Genista Italica etiam illis neutiquam careat.]

Ocymoides rubrum.

Ophioglosson. In pratis quibusdam humidioribus, præcipue prope Stolbergam, auff der Pfaffen Wiesen.

Oxyacantha Matthioli.

Ononis, in pratis quibusdam & circa loca culta.

Origanum vulgare, passim.

Origanum verticillatum, passim. Planta verticillata, Origano similis, foliis lanuginosis, quam falso quidam pro Clinopodio exhibuerunt.

Orchidis Dodonæi primum genus.

Eiusdem alia species, foljs quatuor vel quinq;, multo longioribus, dodrantalibus.

Orchidis Dodonæi secundum genus.

Orchidis species, testiculatas radices minores obtinẽs: folia etiam

aliquantulum minora, quam cæterarũ ſpecierum, quatuor ferè, læuia, ſplendentia: cauliculum rectum, pedali non multum maiorem, in cuius ſummo faſciculus florum paruus cõſpicitur, nõ quidem ſpicatus, ſed in vmbellæ paruæ fere modum explicatus, figura Schænopraſi. [Eiuſmodi depingitur in herbario Lugdunenſi.]

Orchis bifolia, flore purpureo & candido etiam, in montibus paſſim ac pratis. Triplici autem differentia reperitur. Altera latifolia eſt, foliis orbicularibus ferè, vnciarum ſex longitudine, quatuor latitudine: altera foliis palmaribus, vnciarum duarum latitudine: tertia breuiora omnia continet.

Orchidis minor ſpecies, foliis tenuioribus, in terram reflexis, quinis, ſenis ſeptenísue: cauliculo breui, digitali, quandoq; dodrantali, tenui, ſpica breuiore florum punicantium paucorum. Naſcitur locis apricis circa Gerenrodam.

Oxalis maior, paſſim.

Oxalis maior Broccenbergenſis, quæ nihil quidem à communiori diſtat, niſi q̃ loco vliginoſiore nata, paulo amplior exiſtit. Eius radicibus mulierculæ ignaris imponunt, quod croceæ admodum ſint, pro Rhabarbaro vulgari eas obtrudentes.

Ophrys quibuſdam exiſtimata ſeu Pſeudorchis Dodonæi, aut Bifolium. Locis opacis & humidis paſſim.

Oxycoccon Cordi, copioſe in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, foliis non ita ſubrotundiuſculis, vt eſt eius Icon apud Cordum, ſed oblongioribus ac ſtrictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus verſus dorſum vtrinq; leniter reflectitur. Longis lignoſiſq; ac obliquis prorepit in vliginoſo muſco viticulis, radicibus conſtans tenuibus, multifidis, lignoſis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Floſculi exigui ſunt, purpurei, veluti exigui citini. Vaccinia paluſtria Dodonæi videntur forte eiuſdem ſtirpis fructus eſſe, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus noſtro

noſtro Oxycocco non eſt, quantum icon Dodonæi ſuorum vacciniorum exhibet.

Oſtrya Cordi, Ornus Tragi, Hainbuchen.

Onobrychis, Caules producit viticulares, humi procumbentes, obliquos, ſpica florum oblonga, punicea ornatos, foliis vero in longa coſta plurimis, longiuſculis, geniſtæ fere. In Thuringia vocatur radix Chriſtiana, quod nomen etiam Aſtrago cõmune eſt. Memini quoſdam & hanc olim pro Aſtragalo habere: ſed Aſtragali adnata nulla vnquam in eius radice potui obſeruare.

P.

PILOSELLA *maior Gallorum*, ſicut plantam hanc nominabat D. Iohannes Pontanus, piæ memoriæ, celeberrimus medicus, reiq́; herbariæ peritiſſimus. Laurentius Hiel Colubrinam nominabat, quemadmodum & vulgari idiomate vocatur. Conuenit cũ hac deſcriptio Ixopi Cordi, ſed nõ in omnibus. Sunt enim folia ei quidem longitudine ſæpe dodrantali, ſed latitudine non vnciali, quin potius duarum vnciarum & nonnunquam latiora, carnoſa, pinguia, nihil admodum acuminata, ſed in obtuſiorem ex rotũdo ambitu mucronem deſinentia, maculoſa & ſinuata plerunq; repandaq́;, quatuor, quinq; aut ſex quandoq; cauliculos cubitales exerit & quandoque altiores, piloſos, folijs deſtitutos, florem proferentes luteum, pappoſum. Radix ei palmaris eſt, digiti ferme craſſitudine, foris nigro cortice, qui facile auellitur, obducta, ſucco pingui turgida. In montibus circa Gerenrodam. [Hanc vt arbitror depinxit in Pannonicarum ſtirpium hiſtoria C. Cluſius, cum inſcriptione Hieracij latifolij.]

Piloſella media, Auricula muris vulgo.

Piloſella minor Dodonæi, floribus candidis, & purpureis, paſſim in iugis montium.

Piloſella ſiliquata. Duplex eſt: Maior radice conſtat tenui, multis exilibus fibris capillata. Folia in ſuperficie terræ innumera penè circinatim reclinata exhibet, paruis canaliculatiſq; pediculis adhærentia trium ferè vnciarum lõgitudine, & vnius pene latitudine, in ambitu parum fibrata, aſpera, piloſa, nigricantia: ex horum medio vnus atq; alter coliculus prodit teres, læuis, paucis admodum foliis donatus, totuſq; ferè nudus, raro admodum rectus & vtplurimum inter reclinãdum hinc inde oblique diſtortus, circa ſummum flores proferens paruos, candidos, qui vbi emarcuerunt, oblongiores ſiliculæ ſequuntur, ſemina parua ſubrubentia continentes. Naſcitur in montibus apricis, & aridiorib. Minor radiculam nanciſcitur paruam, fibroſam, ligneſam, inutilem: foliola in ambitu terræ exerit numeroſa, prioris ſpeciei foliis breuiora, ſimilia foliis Piloſellę minoris Dodonæi iam dictæ, ſed non ita incana, magis vero flaueſcentia, parum piloſa: coliculos ſuſtollit plures, tenues, ſtriatos, rectos, teretes, palmares, nonnunquam dodrante altiores, nonnihil brachiatos, in quorũ ſummo parui floſculi candidi emicant, quos decidentes ſubſequuntur ſiliculæ oblõgiuſculæ, ſtrictæ, ſimiles Thalictri Dodonæi ſiliculis. [Sophiam Chirurgorum vel Seriphiũ Tragi intellige, quam Dodonæus olim pro Thalictro habuit, in recentiori vero editione aliud pinxit.] Seminibus exiguis, ſubrubentibus turgidæ. Conſpicitur paſſim in collibus ſub initium veris. [Acrem habet ſaporem hæc plantula, inſtar Naſturtij, & Geſnerus inter Myagri ſpecies ipſam retulit. Minima omnium huc non temere annumerari poteſt, quam Lobelius Paronychiam Alſinefoliam, Otho Brunfelſius Genßkraut appellantes depinxere.]

Paſtinaca ſylueſtris Cordi, hortenſi ſeu ſatiuæ in omnibus ſimilis. Locis apricis & iuxta vias.

Piſum ſylueſtre referens prorſus ſatiuum vulgare: aliquibus in locis

locis copioſum, montibus apricis præcipue.

Polygonatum maius ſeu vulgare aut latifolium.

Polygonatum tenuifolium maius, ſtrictiora habens folia quam prius.

Polygonatum tenuifolium minus, adhuc anguſtioribus & breuioribus foliis præditum. Reperitur quandoq; ſimul eodem ſolo cum tenuifolio maiori, licet rarius, circa Stolbergam ac Ilfeldam, quibuſdam in montibus.

Pſeudohepatorium mas, Herba Cunegundis, ſeu Hepatorium Auicennæ quorundã, quod folio ſit cãnabino, quale in ſuo Auic. requirit: attamen cũ flos nenupharinus, quem etiam Auicennæ Eupatorio eſſe oportet, in hoc non habeatur, viderint iſti, quomodo ſententiam illam ſatis defendant.

Pſeudohepatorium alterum Dodonæi ſeu fœmina: Vbiuis fermè ad flumina & locis humectis & ſqualidis circa oppida & pagos.

Perſicaria maior, caule ſeſquicubitali, ſtriato, tereti, geniculato: foliis plurimis, dodrantalibus, aſperis, acuminatis: floribus in paulo oblongiore ſpica rubris. In pratis vliginoſioribus.

Perſicaria maculata, paſſim ſecus vias & ad flumina.

Perſicaria mordax ſeu hydropiper, paſſim ad flumina.

Periclymenon, copioſe circa Oſterodam oppidum ducum Grubenhagicorum, vbi dicitur Wildrancken.

Pyrola maior ſeu Beta ſylueſtris, Wald Mangolt / Limonium quorundam: quamuis frequentius in montanis, quam pratenſibus naſcatur.

Pyrola minor, foliis breuioribus, pyri foliis reſpõdentibus, vnde & vulgus ad differentiam prioris Birnbeumchen vocat, ac maiorem ei efficaciam in glutinandis vulneribus & rupturis attribuit, quam priori.

Papauer erraticum ſeu Rhœas. In agris & iuxta loca culta, nonnunquam & in locis cæduis ſyluarum & carbonariorum areis.

Potamogeton λειόφυλλον, quod à læuore reſplendẽte foliorũ ſic nomino

mino. Est nimirum quod Tomo I. Iconum Dodonæi depingitur pag. 128. folijs rotundioribus aliquantulum, in mucronem obtusiorem diductis. In piscinis quibusdam, Vualckenriti præsertim.

Potamogeton μελανόφυλλον, folijs consimilibus sed molliorib. non ita splendentibus, flaccidioribus vero adeo, vt extra aquam extracta ob flaccidam istam molliciem facillime concidant, conuoluanturque.

Potamogeton ἱτεόφυλλον, folijs salignis, sed multo maioribus. Videtur Cordi Phyllitis lacustris lib. 2. Stirpium. Ilfeldæ ac Vualckenriti in piscinis.

Patamogeton οὐλόφυλλον, seu Crispum, aut fimbriatū, tenerioribus viticulis, folijs oblongis, strictioribus aliquantulum quam in cæteris speciebus ac crispis, quæ mox atque aquæ eximuntur in se conuoluta concidunt, contorquenturque. Huic appenduntur potissimū semina piscium & ranarum verno tempore. In piscinis circa Stolbergam & Vuernigerodam.

Plantago aquatica, passim in paludibus & fossis stagnantibus.

Plantago πολύνευρος *maior, seu rubea.*

Plantago media Dodonæi: passim.

Plantago ex hoc genere minima, minoribus multo folijs & spica constans.

Plantago πενλάνευρος, *minor, Lanceola.* Duplex est: Maior folia profert bipalmaria sæpe, duarum vnciarum latitudine ferè, quæ quandoque in ambitu vel pinnulis quibusdam paruis exornantur, vel omnino sine illis existunt: Altera minor folia breuiora habet & strictiora.

Pseudomelanthium, ἀνθεμον φυλλῶδες Theophr. Nigellastrum nimirum dictum. In agris.

Ptarmica syluestris Germanica, ad fluminum ripas, non procul à Stolberga

Perfoliata syluestris.

Perfo-

Perfoliata vera, in agris, ad pagum Hermannisacrum.

Pimpinella Italica maior, Sanguisorba. In pratis quibusdam humidioribus. Minor passim.

Pimpinella nostras communis maior, circa Ilfeldam & Vuernigerodam, sed rarius: vulgari in omnibus similis eademque est, nisi quod maiora latioraque aliquantulum folia contineat. Minor, passim.

Polygonon mas, passim.

Polygonon masculum fruticosum, radice tenui, multifida, lignosa fibrosaque, superuacanea, cauliculis tenuibus, brachiatis, lignosis, foliolis multis hyperici minoris, sed multo tenerioribus, aut serpilli tenuifolij. Flores eius nōdum obseruaui. Reperi aliquando non longe à Stolberga, secus vias. Non est Polygonon alterum serpillifolium Anglorum.

Polygonon fœmineum locis vliginosis & stagnantibus.

Polygonon fœmineum ἀφυλλόκαυλον. Singularibus exurgit caulibus, striatis, cubitalibus, qui geniculis multis articulantur, tubarumque modo sibi immittuntur ac caui sunt, semunciali latitudine, in acuminatum fastigium terminati: Quandoque ex articellis reperitur etiam folia emittere admodum parua, tantum circa summum caulis. Inuenitur in pratis vliginosioribus, non procul à Stolberga. Vbi vero ad piscinarum ripas ex ipsis aquarum fundis progignitur, culmos erigit tricubitales, folijs prorsus nudos.

Pseudochamædrys maior, passim, Caulibus brachiatis, folijs dentatis, florib. cæruleis. Gamandræa vulgo dicta. Verbenaca supina Dodonæi.

Alia eiusdem species caulib. altiorib. paulo, teneri oribus: folijs amplioribus & rotundioribus, vncias duas ferè longis latisque: floribus paucioribus, cæruleis.

Eiusdem alia species rotundiore itidem folio, sed longe

longe minori, vtpote vix vnciali longitudine ac latitudine, hiſpidiori, dentato, pluribus autem caulibus prædito.

Polygala Tragi, florib. cæruleis, paſſim. Reperitur hæc non infrequenter flore rubicundiuſculo, nonnunquam quoque toto candido.

Eiuſdem ſpecies foliolis circa radicem rotundioribus, crebrioribusque, circinatim terræ incumbentibus: ea vero quæ coliculos ambiunt, priorum ſpecierum foliolis ſimilia ſunt prorſus: flores & hæc cæruleos obtinet, ſaporem vero admodum amarum, qui ita in cæteris non animaduertitur guſtu inſignis eſſe.

Polygalon Cordi, Fœnugræci ſylueſtris nomine habitum à Trago: Aemylius Glycyrrhizam ſylueſtrem, ob dulcem ſaporem nominabat, vt in Scholio, quod deſcriptioni apud Cordum ſubiectum eſt, patet: illud enim Aemylij eſt. Verum alia eſt Glycyrrhiza ſylueſtris noſtra, de qua ſupra.

Pentaphyllum maius: paſſim, præſertim circa loca habitata.

Pentaphyllum medium, medio modo ſe habens, quo ad folia, inter maius & minus.

Pentaphyllum minus, minoribus folijs, locis aridioribus, vinetis ſiccis hinc inde direptans.

Pentaphyllum minus ſuffruticeſcens: Radice conſtat ligneſa, multifida, fibroſa, denſa foliorum congerie: breuioribus caulibus, digitali longitudine, minoribus folijs, locis aridioribus.

Pentaphyllum Πεμμόφυλλον, Lupinifolium: in ericetis quandoque & ſub virgultis.

Pentaphyllum canum, πολύχιον, cauliculis fruticoſis, ſeſquidodrãtalibus ſæpe, brachiatis: foliis in ambitu profundius dentatis, ſuperna parte nigricantioribus, inferna canis. Paſſim circa vias, locis aſperis.

Pentaphyllum paluſtre, Plinij fragiferum exiſtimatum, quod conſimilia quidem capitula, flore deperdito, fragariæ proferat, quæ

quæ tamen eſui apta bacca deſtituuntur. In eadem planta huius generis, folia tam ſeptena quam quina vno pediculo ſeu viticulo inhærentia ſimul ſæpe conſpiciuntur, vnde non ſolum pro Pentaphyllo ſed & pro heptaphyllo quoque haberi poſſet. Nuſquam autem hoc, quantum mihi conſtat, in vniuerſa Harcynia naſcitur, præſertim in Broccenbergo.

Phyllitis, Linguaceruina, montibus vmbroſis ad Beram flumen ſuper Ilfeldam præcipue.

Porrum iunceum ſylueſtre, locis quibuſdam maxime in montibus Gerenrodenſibus.

Prunella vulgaris, flore cæruleo punicante.

Eadem flore ex diluto cæruleo albicante: ſed rarius offertur, locis montanis verſus Aurbergũ, non procul à Stolberga.

Eadem cauliculis palmaribus, folijs minoribus, floribus candidis, copioſe in montibus circa Andersbergum.

Pyraſter arbor, pyrus ſylueſtris, paſſim.

Populus Libyca, Tremula, Alpina Matthioli, Aſpen/ falſo Trago Populus nigra exiſtimata.

Pulmonaria vulgaris, arboribus adnaſcens, præſertim quercub. ſorbo aucupariæ, alijsq; paſſim, item Saxis.

Pulmonaria herba flore cæruleo punicante. Pulmonaria Plinij Geſnero. Locis paſſim humidioribus, opacis, & cæduis. Folia ſæpe, præſertim circa Stolbergam in ſyluis opacis, candidulis elegantèr variegantur, velutique emblematico opere intercurſantur picturatis inſcriptionibus, per vniuerſam ſuam amplitudinem longitudinemque, non autem candidis maculis aliquibus in partibus notantur: quæ tamen in hac planta alijs in locis quandoque extra Harcyniam deprehenduntur, præſertim in ſatiua, quæ ex Belgio affertur. Vt plurimũ tamen aliàs inſcriptionibus hiſce prorſus carent.

Pityuſa maior Dodonæi.

Reperi alias in Thuringia in fluuiorum marginibus huius

Tithymalorum genęris, Pityusam grandem, quæ eadem videtur esse cum Esula Germanica Anglorum, radicibus crassis, longis, multifidis, nodosis, cortice rubro obuestitis: caulibus bicubitalibus, brachiatis, numerosis, qui foliis creberrime præcinguntur oblongis, oleæ minoribus. Nondum vero hāc mihi in Harcynia visam scio. An vero alicubi in ea inueniatur, ambigo.

Pityusa minor Dodonæi, duarum specierum. Altera habet folia paulo maiora, latioraq;, ac flores in maiori speciosioreq;; umbella maiores: altera minor, folia breuiora, strictioraq; ac tenuiora, vmbellam minorem ac minores flores.

Peplus, Esula rotunda, etiam à Cordo tradita. In hortis.

Primula veris, φλομὶς, *Paralysis syluestris*, passim præcipue in pratis.

Eadem hortensis: in hortis.

Polypodium, passim in ruderib. murorum antiquorum, in saxis, ad radices item quercuum, corylorum, fagorum, aliarumq; arborum.

Phœnix, Lolium syluestre aut rubrum: passim. Tragus in primo genere graminum confundit cum sterili auena. In duplici est differentia. Prima vulgatissima est, vbiuis ferè secus vias & semitas obuia, in oblongo scapo continua serie breuiores spicas emittit, modo eo, quo spicæ in lolij culmo disponuntur, adeo vt ipsi Lolio quam maxime sit assimilis. Altera spicas continet non in oblongo scapo, sed in eius summitate in fasciculo quasi dispersо comprehensas. Hæc apud Tragum depingitur pro Auena sterili, primo videlicet ipsius graminum genere. Sicque Tragus auenam illam cum hac Phœnice dupliciter confundit, primum in descriptione, deinde in pictura.

Pinaster, foliis tenuibus, longissimis. Circa Ilfeldam & Vuernigerodam.

Picea:

Picea: locis ijsdem.

Petasites, passim ad flumina, inq; ipsis fluminib. flore punicante, capilloso, papposoque. Folio grandissimo, reperitur vltra Ilfeldam in Berā fluuio, & qua ex Elbingeroda Vuernigerodam itur.

Petasites flore candido, copiosissime Andersbergi.

Potentilla, passim.

Persicaria siliquosa Anglorum seu Noli me tangere, aut Pseudapocynon quorundam.

Portulaca aquatica, foliis satiuæ minoribus, seminibus ijsdem in fluuio nō procul à Schartzfelda aree comitatus Honsteinēsis. Item in fluuio præterlabente Saxuuersium pagum inter Northusam & Ilfeldam.

Prunus syluestris.

Phalaris syluestris minor. Maior, quæ à satiua in hoc præcipue differt, quod spicas obtineat asperas, lappaceas, vestibus adhærentes, Harcyniæ quantum mihi quidem constat, ignota est. Minorem autem vidi familiarem montibus quibusdam vliginosioribus circa Andersbergum, radice crassa, fibrosa, nigricante, folijs frequentibus, digitali longitudine, strictis & imbricatis: coliculi ex horum medio prosiliunt, spithamā nonnunquā paulo lōgiores, quandoq; & breuiores, plures, leniter striati, enodes, spicā squammatā Phalaridis satiuæ similē, sed multo breuiorē in summo cōtinentes, plumbei coloris, mollem, nō asperā, nec lappularū modo adhærescentem.

Platanaris Dodonæi, Carex, Matthioli Sparganion. In piscinis & fossis stagnantibus.

Pseudocyperus seu Cyperus syluestris: passim locis vliginosis, iuxta aquas. Huius autem aliquot sunt differentiæ. Communiorem, qui frequentius obuiam est, Pseudocyperum πολύκαρπον voco, quod videlicet copiosè semē suū in densis ac latius dispersis comis seu veluti racemis nigricantib. pferat: radicibus

constantem crassis, fibrosis, nigricantibus: caulibus sesquipedalibus, geniculatis, triangularibus, culmi hordearij crassitudine: foliis circa radicem & ex geniculis prodeuntibus, dodrantalibus, longioribusq;, acuminatis. Alterũ genus nomino Pseudocyperum ὀλιγόκαρπον, quod quidem, quo ad folia & radicem, (quæ huic quoq; nigricãs est & crassa, & frequenter capillaceis fibris obsepta) priori simile est, sed capitulis seminum differens, quæ licet vt prius, in summo caulis ex nodoso tuberculo emittit in singularibus pediculis oblongis contenta, ea tamen pauciora, rariora ac flauescentia sunt, & squamata. Estq; hoc rursus duplicis discriminis. Pseudocyperus enim ὀλιγόκαρπος maior, multis in locis reperitur, foliorum magnitudine ac latitudine, caulis item proceritate τῷ πολυκάρπῳ simillimus. Minor vero radice constat parua, spadicea, fibrata, folia continens milio breuiora, digitalem longitudinem raro excedentia: cauliculum emittens dodrantalem, interdum paulo longiorem, tenuem, paucis, minoribus ac tenuioribus folijs ornatum, in cuius summo ex tuberculo nodoso, pauci, tenues, breues, pediculi emergũt, capitula parua, pauca raraq; & squamata, spadicei coloris exhibentem.

Polemonium primum Dodonæi, caulibus sesquipedalibus, teretibus læuibus, geniculatis: ex quorum quolibet geniculo bina folia ex opposito sibi correspõdentia prodeunt, oblõgiuscula, læuia: in summo ex vtriculis quibusdam protuberantib. quę sunt veluti vesiculæ quædam inflatæ, læues, & candidæ ac hiantes, flores proferuntur in extremitatibus reflexi, paruuli, laciniati ac candidi, sub quibus in interiori parte vesicularũ, capitulum rotundum, oblongiusculum, acuminatum reperitur, plenum seminibus rotundiusculis, asperis, grisei coloris, papauere maioribus.

Parthenium, seu Matricaria.

Pteriadion seu Pteridarion Cordi: Pusilla Filicis species, bessem

vix

vix attingens, raroque. Inuenitur præcipue in Musco vdo pratorum quorundam, nonnunquam etiam ad radices annosarum arborum, locis opacis, ac humectioribus: in petris item madidioribus.

Q.

QVERCVS. Gerenrodæ in Quercubus humiliorib. frequẽtia adnata quædam reperiuntur, inter crebriores petiolos foliorum simul cohærentes ad tuber aliquod ramulorum exorta, quæ oblongiuscula sunt, ad basin quidem rotundiori conglobataque figura, in tenuem deinde mucronem fastigiata, constantia materia squammatim sibi cohærentes: quæque conulum veluti quempiam exiguum exprimunt. In annosarum quoq; quercuum truncis vuæ illæ quercinæ, quarum mentio adeo præclara est apud Encelium, reperiuntur, non solum veris initio, quo tamen maxime tempore oriri solent: verum etiam in ipsis canicularibus. Sub illis enim memini me illas vuas vel granula istiusmodi pro vuis alijs habita, aliquando Stolbergæ adhuc cortici arboris inhærentes, ac vegetas, iamque primũ enatas, videre. Est autem vicij genus, simile penè ipsis recentib. Gallis quernis, nisi quod sit ijs minus, huic arborum generi ex superfluo succo circa radicem accidens, qui vbi vetustatis ratione arbore morbum aliquem contrahente seu imbecillitatẽ, per vniuersas vsque eius partes distribui, ibique confici nequit, prope radicem circa corticem relictus consistit, ac ibi coaceruatus diutiusque detentus & vi solis ac ambientis alteratus, tandem viam quærendo prorumpens tale tuberculum baccæ alicuius instar, vel vnum vel plura protrudit, stolonum tandem exortui inseruientia, eadem ratione, qua idem vitij in Tiliarum antiquarum arborib. prope radices cõtingens videmus sæpenumero.

R.

RAPVNCVLVS ſylueſtris cummunior, folijs ceruicariæ maioris, mucronatis: caule cubitali, læui, tereti: flore ſpicato ex viridi leniter albente: paſſim in pratis & locis quibuſdam montanis. Mihi vocatur Rapunculus ſylueſtris ſpicatus albens: licet eius ſpeciem in Thuringica ſylua, floribus prorſus candidis viderim.

Eiuſdem ſpecies floribus cæruleis, quæ eſt rapũ ſylueſtre Dodonæi alterum, rapunculus ſylueſtris Tragi ac Anglorum Rapuntium maius Alopecuri racemoſo flore. Plurimus eſt hic rapunculus vff der Langen/ loco inter Stolbergam, & Elbingerodam.

Rapunculum voco ſylueſtrem ſpicatum cæruleum. Priori omnibus eſt ferme ſimilis, niſi quod florum colore præcipue diſcrepet.

Rapunculus ſylueſtris cæruleus vmbellatus. Lacteo eſt ſucco, ſicut reliquæ Rapunculorum ſpecies. Duplex vero reperitur: Maior, quæ rarius obuiam fit, ex vna radice numeroſiſſimos profert coliculos, tenues, teretes, ſcabros, hiſpidos ſeſquipedales, folijs plurimis, oblongiuſculis, anguſtis, fimbriatis ac hiſpidis præditos, in vmbella parua flores cæruleos continentes: ſemine fuluente exiguo. Minor ſpecies locis aridioribus ac ſoli expoſitis, maxime vero arenoſis frequentior eſt, folijs & caulibus breuioribus vt & vmbella ſua cærulea.

Rapunculis annumero ſtirpes illas lacteo ſucco præditas ac rapunculorum modo oblongioribus & lacteſcentibus radicibus, ſuperne protuberantibus conſtantes, & campanulatos flores edentes, vnde campanularum nomine communiter herbarijs vocatæ veniunt: quibus omnibus folia ſunt Nerio ſimilia, longiora ac latiora in quibuſdam ſpeciebus, in quibuſdam etiam breuiora ac anguſtiora. Hincq; eos rapunculos

los πλειοφύλλους appello. Harum autem aliquot ſpecies facile admodum induſtrio rei herbariæ perſcrutatori patebunt, quarum itaque recenſebo hic tot, quot illo in genere hactenus per Harcyniam noſtram mihi obſeruare licuit.

Ranunculus ergo campanulatus Nerijfolius primus caulem habet ſeſquipedalem, teretem, parum ſtriatum, inter folia in adnata quædam ſeu brachiola explicatum: folia autem Nerij quincunciali longitudine, vncialique ferme latitudine: florem campanulatum, cæruleum, in ambitu orificij parum diſſectum.

Secundus folia obtinet priori crebriora, pauloque anguſtiora, longioraque multo, vtpote dodrantalia: caulem item craſſiorem: florem priori maiorem.

Tertius & ipſe quoque folia exhibet anguſtiora, ſecundo tamen breuiora: flores vero ampliores maioresque, cymbali alicuius patentioris in modum, in extremis oris diuiſos.

Quartus eſt caulibus breuioribus, foliis item minoribus, quorum ea quæ radici propinquiora ſunt, vnciarum ferme trium ſunt longitudinis, dimidiæ autem latitudinis: quæ vero per reliquum caulis conſpiciuntur, ijs breuiora ſunt: floribus eſt autem admodum patentibus repandiſque ſed tertij minoribus.

Quinto caulis eſt pedalis, pauloue procerior, aſper, non admodum folioſus: folia vero ſunt nigriora, vncias quatuor aut quinque longa, vnam vero penè lata: flores cymbalares, minores, aperti, ventre tamen eius non in rotundam cauitatem expanſo, vt in illarum ſpecierum floribus, quas iam recenſui, videre eſt, ſed plicato.

Sextus, Rapunculus campanulatus aut Neriifolius minor, caules erigit pedales, angulo ſos, ſcabros: folia eius, ea videlicet, quæ radici proxima ſunt, vnciarum quatuor longitudinem

dinem assequuntur, vnius vero latitudinem: reliqua quæ cauli appenduntur, triuncialia sunt & breuiora etiam: caules huic speciei in summo in brachiola diuiduntur crebriora, tenuiora, flores exhibẽtia campanulatos, cæruleos, plicatos in ambitu ad orificium diuisos, similes omnino speciei sequẽti.

Septimus seu Rapunculus campanulatus linifolius coliculos profert non admodum rectos sed procumbentes, folioſos, brachiatos, adnatis refertos. Folia ei primo prodeuntia sunt vncialia ferè, subrotundiora, in mucronem tamen producta, in ambitu leniter dentata, similia foliis quibusdam violæ tricoloris, quam vulgo Florem trinitatis vocant: cætera, quæ caulem frequenter ambiunt, longiora euadunt, sed tamen strictiora existunt, lini foliis quodammodo affinia. Flores plures, cærulei, plicati, in ambitu diuisi in hoc cernuntur. Vbiuis autem hæc species frequens est.

Ribes syluestris, frutex plerisque in locis circa Stolbergam, Ilfeldam, Gerenrodam, aliaque loca frequens fructu viscoso & nauseoso.

Ranunculus bulboſus Apuleio à Dodonæo ascriptus, ac nonaranunculi species apud Cordum, quinta vero apud Matthiolum, sed Ranũculus primus Tragi, atq; sceleratissimus eidem dictus, alijs flammula.

Ranunculi tertium genus Cordo & Trago, quartum vero Dodonæo, quod quidam *Ranunculi Martij* nomine appellant, quia genus illud initio veris mox mense Martio frequentissimum conspiciatur, tam in syluis, quam hortis ac campis passim: quamuis alius Ranunculus Martius existat, is qui à Trago hoc nomine dictus habetur. Huius autem generis aliquot differentiæ vbiuis ferme sese contemplandæ offerunt. Primum autẽ eius genus vidi frequens ad sepes, radice transuersa, ex rubro nigricante ac cirris quibusdam amplexata, ex qua coliculi oriuntur singulares, dodrantales, in summo in tres

tres contrarios pediculos breuiores diuulsi, quibus folia continentur diuisa, crenata in ambitu ac subnigriora, cæteriſque iam narrandis speciebus aliquantulum latiora. Hoc vero genus flores edere nunquam potui deprehendere. Secundum genus flore citrino præditum est, cuius etiam discretæ reperiuntur non infrequenter species. Prima namque quæ in hoc genere maior est, pediculo constat palmari, foliis profundius incisis, quam prioris generis, quarum tamen particulæ à se inuicem diremptæ longiores sunt, strictiores vero & vbi in mucronem deduci incipiunt, dentatæ, nigriores item: ex media foliorum ala bini, oblongiusculi vt plurimum petioli egrediuntur, quorum quilibet florem exhibet singularem, luteum, foliolis septem, nonnunquam & octo compositum, intus staminula plurima ostendentem luteis apiculis conspicua.

Altera species, quæ minor est, breuiores aliquantulum nacta est coliculos, foliorum item à se diuulsas particulas breuiores & angustiores. Florem deinde singularem profert in pediculo vnico, eumque breuiorem.

Tertium genus flores obtinet candidos, cuius etiam specierum nonnullarum euidens discrimen occurrit. Huius itaque species maior coliculum emittit palmarem, folia cum primo genere eadem, hoc est, in latiores particulas, non vero in longas discreta, nigriora, florem in singulari pediculo vnicum. Altera eius seu media species minoribus coliculis nititur, foliis item minoribus gaudens, vt & flore. Minor species rursum omnia minora obtinet, vtpote cui folia raro admodum sunt vncialia.

Quartum flore ex candido rubente donatur, foliis ijsdem cum primo & tertio genere, ipsum etiam ratione differentis proportionis foliorum, præcipue in maiorem & minorem speciem discretum esse animaduertitur. Hæcque genera omnia (præterquam primũ quod circa vrbes & pagos, ad sepes et

dumeta nascitur) vno eodemque in loco passim in syluis veris principio facilime inueniri poterunt.

Cæterum huius classis & quintum genus frequenter obseruaui, quod tam in montibus, quam hortis oritur ac sterile prorsus est, radice subnixum transuersali, parua, iunci crassitie, forinsecus ex rubro nigricante, paucis cirris ipsi annexis, ex qua singularis prodit coliculus palmaris, in summo non ita euidenter in tres pediculos diremptus, sed potius in foliorum breues veluti vnguiculos quosdam diductus, foliis ipsius longius incisis, in ambitu dentatis. Hoc autem præ reliquis huius ordinis generibus folia hæc peculiare obtinēt, quod in dorso frequentibus veluti stigmatibus seu punctulis protuberantibus sint picturata exasperataque.

Ranunculus polyanthemus primus Dodonæi, qui est Ranũculus pratensis primus Anglorum, octaua vero Ranunculi species Cordo.

Ranunculus polyanthemus macalatus. Hic folia continet in palmaribus canaliculatisque pediculis quinquies profundioribus incisuris, veluti in pentaphylli modum diuisa, correspōdentia foliis maioribus, quæ in caule ranunculi auricomi dicti existunt, nisi quod ijs multo sint latiora, maioraq;: quælibet vero harum quinque foliosarum diuisionum rursus in tres alias profundius inciditur, partibus ex neruis cuiuslibet diuisionis altius crenatis. Caulem emittit cubitalem culmi frumentacei crassitudine, teretem, latum, læuem, brachiatum, flores proferentem citrinos, plures. In medio autem foliorum, qua ipsa cum suis diuisionibus, veluti in vnum principium collecta, vnguiculis quibusdam suis pediculis adhærēt, macula sanguinea altius impressa conspicitur: ideoque videtur hoc genus comprehendi à Trago sub altero suo Ranunculo, cui maculas Persicariæ ipse attribuit, quãuis icon apud ipsum, nostræ stirpi non respondeat.

Ranun-

Ranunculus Cordi sextus, seu flammula ipsius radicibus multifidis, caulibus hirsutis, folijs consimilibus quodammodo Ranunculo bulboso, multo tamen maioribus & latioribus, vtpote quæ expansam manus volam adæquent, incisis, crenatis, nigris, pilosis, flore citrino.

Ranunculus tertius Matthioli, aut eidem tamen congener. Admodum autem manca huius descriptio apud illum Commentatorem. Meum ego reperi aliquando (sicuti etiamnum illum papyro agglutinatum seruo) cum nondum in caulem creuerat, radice oblonga, multifida, fibris frequentibus intercursata, ex qua prodibant multi palmares, imbricatiq; pediculi, in ambitu terræ procumbentes: quibus iuxta extremitatem addebantur folia ex cõtrario correspondentia, incisa, crenata, apij officinarum ferè similitudine, quæ post breue interstitium subsequebantur consimilia alia extremum pediculi locum occupantia, omnia ex viridi nigricantia, splẽdentia & leuia. Puto me etiam alias hanc Ranunculi speciem cum suis caulibus, rotundis videlicet & floribus citrinis extra Harcyniam vidisse.

Ranunculus auricomus Dodonæi, seu tertia apud Dodonæum Ranunculi species. Ranunculus dulcis siue pratensis Trago dictus.

Ranunculus paluſtris, seu Apium Aquaticũ Tragi, Wasserhanenfuß/ Prima Ranunculorum Dodonæi ac Cordi species: passim in fossis stagnantib. fluuiorum alueis alijs locis vdis.

Ranunculus aquaticus ἀερογλωσσόφυλλος, seu folio Plantaginis acutæ, qui est duodecima species Ranunculi apud Cordũ, quam ipse πλαλύφυλλον vocat. Reperiuntur huius in Harcynia duæ species: Maior, quam Cordus superficialiter describit, radice constat crassa, nigra, capillataque, caulibus teretibus, cauis, geniculatis, sesquicubitalibus ac brachiatis: ex cuius singulis geniculis folia prodeunt Plantaginis acutæ ferme

figura, ſed non ita neruis conſpicuis intercurſata, ſplendentia, læuia ſeu glabra, dodrantem ſæpe longa, vnciali latitudine: ex quorum alis brachiola & ipſa geniculata prodeunt, è ſuis geniculis cõſimilia ſed breuiora folia producentia. Sunt vero folia hæc in hac noſtra ſtirpe, integra prorſus abſq; omni ſerratura, quamuis & alijs in locis ipſa ſerrata viderim. Flores profert Ranunculi auricomi, ex luteo pallidiores, maiores reliquis ranunculi ſpeciebus. Naſcitur autem copioſe circa Vualckenridam monaſterium ad piſcinas, inter arundines. Rembertus ſpeciem huius folijs ſerratis flammulæ nomine depingit Tomo I. Iconum pag. 415. Minor radice exoritur multifida, coliculis geniculatis, tenuibus, dodrantalib. procumbentibus: foliis oblongiuſculis & multo ſtrictioribus. floſculo citrino paruo. Paſſim in vliginibus & ad aquas. In hac etiam minori ſpecie, quo ad folia diſcrimen quandoque aliquod reperitur: nam folia illa vt plurimum huic plantæ integra ſunt, abſque dentatis impreſſionibus: nonnunquã & parum dentata circa extremum mucronem reperiuntur. Porro cum generi huic Ranunculorum τῦ πολυφύλλυ nomen indiderit, nõ præter rem facturum me putauero, ſi hic obiter ſaltem meminero alterius huius generis Ranunculi ſpeciei, quã ego τῦ πολυφύλλυ nomine habeo. Hic autem toti Harcyniæ noſtræ ignotus, vt credo, prorſus eſt, ac maxima exiſtit ſpecies Ranunculi iſtius duodecimi Cordi iam deſcripti. Ipſum vero copioſſimũ reperi olim in Marchiæ veteris ſyluis, locis vliginoſioribus ac opacis, putridis, limoſis & fœtidis, maxime circa Stendaliam & Tangermundam ciuitates. Radix ei eſt nigra, craſſa, vix in extrema limorum ſuperficie comprehendens ac hærens, capillaceis cirroſisque fibris numeroſè circumſepta: caulem emittit ſingularem, ſeſquicubitalem, digiti ferme craſſitie, geniculatum, foliis ex ſingulis geniculis prodeuntibus longis, acuminatis, latis, quorum ea quæ inferius

rius cauli adhærent, dodrantalia ſunt, quandoque & ſeſquidodrantalia, vnciarum duarum, quandoque etiam trium latitudine, non ita carnoſa vt in platyphyllo Cordi, ſed molliori ſubſtãtia, & propterea facile flacciditati obnoxia, glabra, ſplendentia, ſine ſerraturis: flores exhibet in ſingularibus pediculis, ſingulares, eoſque paucos, grãdiores, foliis ſex, ſeptẽue in ambitu conſtantes, ſubpallidioribus ex luteo, capitulo intus frequentibus ſtaminulis exornato: flores decidentes ſubſequuntur ſemina Ranunculis cæteris ſimilia ſed maiora aliquantulum, nigrioraque.

Ranunculus maximus λευκάνθεμος ſeu Aconitiformis. Radice nititur nodoſa, quali nimirum aquaticæ plantæ plurimæ firmari videtur, fibris multis cãdidis ex ea propendentib. eaque iuxta terræ ſuperficiem capillamentis quibuſdam durioribus circumueſtita, quæ ſcilicet ex neruoſis pediculorum partibus ſuperiorum annorum tranſeunt in eiuſmodi formam, poſt deperditam ſubſtantiam reliqua m. Emittit primum pediculos imbricatos dodrante longiores, in quorum ſummo foliũ late expanſum ac quinquies vel ſexies vt plurimum profunde inciſum & in ambitu ſerratum, ſimile folijs alicuius Aconiti ſpeciei, continetur. Caulem profert ſæpe bicubitalem, calami ſcriptorij craſſitie, intus cauum, ſplendentem, teretem, in ſummo quibuſdam adnatis brachiatum, cui priorib. conſimilia adhærent folia paulo minora, breuibus item pediculis donata. Flores ei ſunt forma cæterorum Ranunculorum, maiores paulo, lactei, quibus decidentibus protuberanti capitulo inhærent ſemina reliquis Ranunculis (excepto latifolio noſtro) grandiora. Eadem proculdubio cum hoc eſt ſtirps illa, quæ in Valerij Cordi obſeruationũ ſylua deſcribitur pag. 222. eſſe herba Lycoctoni maiorib. geranij folijs &c. Copioſa eſt in vliginibus montoſis circa Broccenbergum & in finitimis montibus, locis præcipue opacis. Superiori anno

dum ſyluam Thuringiacam tranſirem, eandem ibidem conſpexi.

Rumex maior, paſſim. Foliis videlicet grandioribus. Idem cum Rhabarbaro monachorum, niſi quod ſit ſylueſtrior.

Rumex minor, radice fibroſa, cirris plurimis obſita capillaribus: foliis longis, ſtrictis, vnciali latitudine, ſinuatis, flaueſcentibus: caulibus brachiatis, ſtriatis, lignoſis, ſeminum racemis frequentibus abundantibus. Naſcitur circa loca culta.

De Rumice aquatico ſeu Hydrolapatho, ſupra.

Rubia ſylueſtris, paſſim.

Rubus vulgaris. Kratzbeer/ Brambeer. Locis pluribus & maxime iuxta loca habitata, in altis etiam montium iugis & locis cæduis & carbonariorum areis.

Rubus Idæus, paſſim, fructu videlicet communiter rubicundo, nonnunquam & candido ſed rarius.

Rubus minimus, ſeu Rubus Alpinus Geſneri: hic Steinbeer vocant. Circa Vualckenridam, Stolbergam & Ilfeldam.

Rapiſtrum aruorum, Hederich: non tam in agris, quam quandoq; locis quibuſdam apricis ac cæduis.

Rhamnus Solutiuus, locis quibuſdam.

Reſeda, planta ex Erucarum ſylueſtrium genere, hoc nimirum à Stirpium inquiſitoribus nomine Plinio attributa. Eam autem duplicem vidimus. Maior circa loca inculta, locis apricis, in quibuſdam Promontorijs & ſecus vias nonnunquam cõſpicitur, radice multifida, longa, fibroſa, candida: circa cuius caput in terræ ſuperficie denſus foliorum flaueſcentium plerunq; ceſpes circumfunditur, in modum Erucæ diſſectorũ, tenerius tamen, ac ita vt inter Erucæ alicuius & ſylueſtris Rutæ caninæ Gallorum folia, mediam veluti figuram obtinere videantur. Ex horum medio caules prodeunt cubitales, lignoſi, ſtriati, procidui, adnatis frequentibus brachiati. Folia quæ caulibus & brachijs appenduntur, oblongiora ſunt, ac minus

minus diuiſa, ſemunciali latitudine. In ſummo caulium & brachiorum veluti in oblongioris ſpicæ figura thyrſuli cõſpiciuntur denſe floſculis in ſingularibus exiguis pediculis ſingulis cõſtitutis obueſtiti, luteolis, muſcoſis, capillaceis: quibus emareeſcentibus prodeunt oblongiuſculæ, turgidæ ac flauentes theculæ ſuperne repandulæ ſeu hiantes. Eſtq; hæc omnino illa Reſeda, quam & Angli in ſua Aduerſaria deſcribunt & depingunt, eamq; præterea Erucam peregrinam, Italicã ſiue Cantabricã appellitãt: quãuis ibi in icone illa adeoq; denſa circa radicẽ eius foliorũ luxuries nõ exprimatur. Minor radicib. exiſtit breuioribus: coliculis ſimplicioribus, rectioribus, teretioribus, minus folioſis, dodrantalibus, nonnunquam & ſeſquidodrantalibus, foliis minoribus priori, eodẽ tamen modo inciſis: in ſummo coma breui floſculorum cõſtituta, flauente. Hæc in iugis montium altiſſimorum naſcitur, præcipueq; in Herzbergo, cui Ilfelda adiacet.

S.

SIDERITIS *prima* Dodonæi & Fuchſij Zeiſgenkraut. Collibus apricis & meridiano ſoli obiectis, in promõtorijs præcipue circa Ilfeldam, Vuernigerodam, Gerenrodam, verſus Notthuſam.

Huic cõgeneres aliquot præterea in Harcynia plantas obſeruaui quæ & aliis etiam locis reperiri ſolent. Prima illarum eſt odoris admodum grauis, caulibus cubitalibus, quadratis, aſperis, hirſutis: quibus per continua interualla ſemper folia bina ex aduerſo adhærent oblonga, mucronata, vncias tres, quandoq; etiã quatuor longa, vnam lata, in ambitu ſerrata, ſuperne nigriora, inferne magis cinerea, hirſuta: floribus rubicundis, verticillatis. Reperitur hæc ad ripas fluuiorum & circa loca habitata quandoq; & in agris.

Secunda conſimilis admodum iam dictæ ſpeciei, niſi

niſi quod in omnibus longe ſit minor, prorſusque inodora. Radix ei eſt tranſuerſalis, lignoſa, cirros quoſdam obtinens, inutilis, candida: coliculi palmares, quadrati, aſperi, recuruſi, rubentes, brachiati: quib. folia per interualla ſunt bina ſemper ex aduerſo locata, ſeſcuntiali longitudine, ſemuncialí latitudine, mucronata, ſerrata: flores itidem verticillati, rubẽtes, longius extra ſuos alueolos exerti, quam in præcedente. Figuram ſtirps hæc nonnihil minoris ocymi referre videtur. Paſſim locis aſperis, montanis, ſterilib. ſaxoſis ac apricis. Cõſpicitur hæc ſpecies etiam quandoque flore candido, ſed rariuſcule.

Tertia, quo ad foliorum magnitudinem inter iam poſitas duas ſtirpes medio ſe loco habet, eamque propter flores ſideritidem cæruleam voco. Caules producit quadratos, infirmiores, brachiatos, folijs numeroſis præditos, quorum ſemper bina ex vtroque latere ſibi opponuntur, molliora, nigricantia: horum maxima vncias tres longa ſunt, vnam lata, & ſubinde vſque in ſummũ apicem caulis attenuantur, ſuntque ſimilia folijs Pſeudolyſimachiæ purpureæ, niſi quod breuiora: inter vtraſque alas exiguus conſiſtit petiolus, cui vaſculum quoddam cauum incumbit, ex quo floſculus oblongus, eleganter cæruleus exeritur, forma ea, qua ſolent quarundam vrticarum mortuarum flores eſſe. quo decidente ſuperne vaſculum veluti ſuperiniecta valuula occluditur, ſemina continens papaueris, maiora, lutea. Prouenit hæc paſſim in ripis fluuiorum, piſcinarum ac foſſarum ſtagnantium, in pratis item vliginoſioribus. [Hanc videntur Lobelius & Pena inter Lyſimachias retuliſſe & nomine Galericulatæ à vaſculorum forma depinxiſſe. Folia crenata ſunt, quod hîc ſilentio præteritum fuiſſe demiror; Plantæ ſapor amarus eſt, Graticulæ ferè in morem. Ideoque eam (prius quam illi ſuas obſeruationes in lucem ediderant) Herbarij quidam Gratiolam

tiolam cæruleam appellare non verebantur, à qua tamen figura tota non parum diſcrepat.]

Sideritis Cordi: Hæc olim proueniebat in agris montanis mõtis Haynfeldi prope Stolbergam, dũ videlicet illi adhuc excolerentur, auenaq́; conſererentur. Nunc autẽ poſtquam ceſſante cultura agri illi in pratenſem naturam abire cœperunt, etiam planta hæc euanuit. Nuſquam autem inter ea, quæ in publico Cordi nomine extant, hæc deſcripta habetur. Oſtendit vero Cordus olim hoc nomine plantam iſtam tum Aemylio, tum alijs. Naſcitur autem alias frequens in arenoſis agris Marchiæ veteris, aliiſq́ue locis. Radix ei eſt tenuis, lignoſa, candida, fibroſa: Coliculus tenuis, cum paucis adnatis, quadratus, dodrantalis ferè, hirſutus: folia ei ſunt ſufflauẽtia, vncialia, rotũdiora, hirſuta, in ambitu dentata: verticillos profert conſimiles vt & ſemina ac flores, Sideritidi primæ. Cæterum illius Sideritidis primæ ſpecies aruenſis, paſſim alias, quædam in agris mõtanis reperitur folio mucronato, primæ Sideritidis, minori, flaueſcentiori, caule cõſimili ſed breuiori. Verum illa diuerſa omnino eſt à Sideritide noſtra Cordi, vtpote cum huic folia rotunda ſint, quę iſti contra mucronata habentur: quod ideo παρέργως indico, ne videar forte alteram pro altera intellexiſſe.

Superba Tragi: locis quibuſdam apricis.

Solanum ſylueſtre ſeu lethale, quod *Morion* ſeu *Mandragoram* Theophraſti quidam eſſe autumant. Propter fructum nigrũ, ſplendentem, quia exacte ceraſa æmulatur, ipſum quandoque ſoleo σφύχνον μελανοκέρασον appellare. In monte altiſſimo prope Ilfeldam Hertzbergi nomine, copioſe reperitur, vt ea in radicibus eius quandoque, item in ingreſſu ſpecus ſubterranei aquoſi, qui circa Biſchofrodam villam eſt, non procul ab Ilfelda, quam vocant ibi die newe Helben. Fuit hic non multis adeo ab hinc annis tonſor quidam, qui (vt ſolet hoc genus

O homi-

hominum admodum temerarium esse, & per mortes hominum, vt ille ait, impune experimẽta sua facere) cuidam Stolbergẽsi ciui, sparsis per vniuersum corpus, nescio in quo morbi genere, doloribus ijsq́ue misere excruciantibus laboranti, huius plantæ foliorum maiorem copiam in decoctione quadam propinauit, præsertim cum circumstantes varia, ipsisq; nota auxilia conciliandæ quietis gratia, frustra autem tentassent, tandemq́; effecit vt æger ille non solum quietem caperet, verum etiam omnium istorum dolorum oblitus lethali prorsus somno diem suum clauderet.

Solanum hortense, seu Solanum nigrum Cordi, Nachtschatt/ Circa loca culta.

Solanum γλυκύπικρον.

Saxifraga alba, quæ granulosam habet radicem, In pratis quibusdam circa Stolbergam.

Saxifraga aurea Dodonæi, passim ad riuulos, scaturigines, locaq́; vliginosa.

Scrophularia maior communis, passim.

Scrophularia maior aquatica, frequens ad fluuios.

Sion verum, seu ἐλεοσέλινον. In scaturiginibus gelidis passim.

Sisymbrium primum, Mentha sisymbria Anglorum.

Sisymbrium alterum, seu Nasturtium aquaticũ, Nasturtium fontanum vulgo dictum, cuius aliquot species existunt. Prima species seu Nasturtium aquaticum acre est illa vulgatissima species in fonticulis, riuulis & eorum elicibus nascens, quæ culinæ inseruit, folijs rotundioribus, passimq́; Brunnkreß dicitur. Secunda seu Nasturtium aquaticum amarum: hæc species priori omnino similis est, nisi quod grãdius paulo assurgat, ac folia magis acuminata, longioraq́; habeat & nigriora, saporis vehementer amari, ita vt prioris modo in mensas recipi non possit, nisi decocta, iuribus tamen priorib. abiectis tandiu donec amaritudinem ferè omnem deponat. Hæc autem

rem antequam caulescat folia exhibet rotũda, ampla admodum, duarum ferè vnciarum. Ac vtraque species non raro ijsdem in locis simul & semel reperitur. Tertiam speciem offendi extra aquas, loco opaco, vltra Vualckenridam, radice candida, lignosa, cirris plurimis obsepta: circa quam in terræ superficie densa foliorum rotundiusculorum, nigrorumq́ue prioris speciei paulo minorum, congeries late dispergitur: ex quorum medio caules oriuntur plures, cubitales ferme, folia oblongiuscula continentes ac flores frequentes candidos. Semina huic sunt in oblongiusculis strictisq́ue siliculis, parua, fulua.

Sorbus aucuparia, seu Fraxinus bubula Dodonæi, passim.

Sorbus torminalis, circa Stolbergam ac Ilfeldam.

Sonchus lævis maximus, sesquicubitalis, folijs dodrantalibus, crenatis parum, sed non profunde dissectis, in ambitu spinosis, sinuatis.

Sonchus lævis alius, procerus & ipse, folijs vtrinque aliquot incisuris in lacinias dissectis, non tamen vsque ad dorsi neruum: qua nota differt paulum à Soncho lævi primo Cordi, cũ quo tamen alias idem est. Reperitur etiam nonnunquam huius minor species, caule crasso, angulosо, cubitali, folijs multis, incisis, spinosis in ambitu, sinuatis, prioris aliquãtulum minoribus.

Sonchus lævis Cordi folijs vsque ad dorsi neruum laciniatis, non ita procerus, vt Sonchus secundus, cuius modo mentionem feci.

Sonchus asper, caule videlicet spinoso, folijs dissectis.

Succisa, seu Morsus Diaboli.

Scabiosas variarum differentiarum plures Harcynia nostra gignere solet, quarũ aliquot iuxta genera sua & species ordine recensendæ hic erunt.

I. *Scabiosa ergo integrifolia*, cui nimirum folia neutiquam sunt

dissecta prima sit. Hæc caulem protrudit cubitalẽ, hispidum, asperum, geniculatum: folia oblonga, plantaginis acutæ ferè, mucronata, asperiora & pilis horridiora, quincuntiali ferè longitudine (qua radici videlicet ea propiora sunt) vnciali autem latitudine, & quandoq; sescuntiali, ac ex quolibet caulis geniculo bina semper ex aduerso sibi opposita, nihilq; dẽtatæ vt plurimum impressionis omnino habẽtia. Quandoq; tamen in huius generis stirpib. quibusdam, rariores ac superficiales in ambitu quorũdam foliorum eiusmodi impressiones apparent: sicuti & in minoribus foliis summum ferè caulis contingentibus vna atque altera iuxta pediculum laciniata dissectio cernere quandoque est. Flos huic speciei est ex cyaneo rubicundus, villosus, In pratis quandoque reperitur.

II. *Scabiosa integrifolia minor seu maculata*, quæ rarius obuia esse solet. Coliculum hæc producit tenuem, teretem, scabrum, dodrantalem, folia pauciora circa radicem octona ferè, vncias duas longa, semissem lata, non hirsuta vt priora, stigmatibus quibusdam nigricantibus exasperata, alias leuoris quid obtinentia, carnosa, quorum ex superiori ordine vnum atq; alterum quãdoque in ambitu paucas dentatas impressiones recipit: flore vt in cæteris scabiosæ speciebus ex cyaneo subrubicundo.

III. *Scabiosa dissectifolia maior*, foliis scilicet in lacinias diuisis Valerianæ syluestris ferè modo, pilosis, caule sesquicubitali, flore ex cyaneo rubicundo, villoso, pratis familiaris.

IIII. *Scabiosa dissectifolia media*. Hæc caule exurgit cubitali, hispido: folia circa radicem obtinens integra, paucas nonnunquam serratas incisiones in ambitu suscipientia, oblonga, nigricantia, pilosa, mucronata, quincuntiali longitudine, sescuntiali ferè latitudine: reliqua deinde profundas ac frequentiores incisiones ac in lacinias diuisiones admittũt prioris istius generis speciei ritu, sed tamẽ illius foliis multo sunt minora.

V. *Scabiosa foliis bellidis syluestris maioris maior*. Hæc caule assurgit cubitali, tereti, geniculato, cuius priora folia iuxta pediculos suos canaliculatos in aliquot lacinias profundius incidũtur parte anteriori ipsius subrotundiori ac in ambitu dentata: reliqua deinde (quorum semper bina ex vno geniculo è contrario sibi cohærent) integra sunt, breui ac imbricato pediculo innixa, non incisa, in ambitu tantummodo serrata, vncias duas longa, vnam lata, colore ac forma folia billidis syluestris maioris exprimentia: posthæc superioris caulis parte qua ipse brachiata adnata producere incipit, folia alterius figuræ consistunt, tenuiora, in plures tenuiores ac angustiores lacinias diuisa. Flos huic speciei cõglobatus est, cæruleus, Succisæ similis.

VI. *Huius minor species* ex vna radice, quæ nigra est, plures profert tenuiores, teretes ac dodrantales coliculos, non ita foliosos, vt prior, sed ferè prorsus nudos, nisi in inferiore parte. Folia priora huic sunt in breuioribus & caniculatis pediculis, bellidis syluestris maioris foliis itidem similia, prope pediculum laciniata vt plurimum, reliqua parte serrata: post quæ reliqua quæ deinceps sequuntur folia, diuersæ ab aliis existunt formæ frequenter in tenues & strictiores lacinias diuulsa: flores cærulei conglobati.

VII. *Scabiosa tenuifolia candida seu maior*. Caule ea prodit cubitali, tereti, calami frumentacei crassitudine, ligneso, geniculis nodosis prædito: folia ei prope radicem sunt in oblongo & canaliculato pediculo, velut in costa quadam constituta, in plures at tenuiores lacinias & per enidentia admodum à sẽ vtroque latere interualla seiunctas, ac in ambitu dentatas, diuisa,

diuiſa, quorum pars extrema mucronem conſtituens latior eſt & crenata: quæ deinde ſuperiori in parte caulis exoriuntur, ea quantò ſubinde ſerie ſua breuiora fiunt, tanto & in ſtrictiores lacinias dirimuntur: inter alas autem verſus caulis ſummum brachiola vtrinque proſiliunt, conſimilibus ſed longe breuioribus foliolis exornata: flores deinde emergunt Scabioſæ nonnihil ſimiles ex pallidiori flauedine albentes. Elegantior hæc eſt cæteris Scabioſæ ſpeciebus omnibus.

VIII. *Scabioſa tenuifolia media*. Radicem hæc obtinet nigram, multifidam: coliculos teneriores, teretes, minus folioſos: folia priora multo minora quam prædictæ ſpeciei, diuiſa in lacinias tenues, latiores tamen paulo quam ſunt foliorum reliquorũ ſubſequentiũ laciniæ, quæ nimirum exiſtunt admodum tenues & anguſtæ ac fæniculaceæ quodammodo: flores ſunt, vt prioris ſpeciei.

IX. *Scabioſa tenuifolia minima prior*. Huic coliculus eſt dodrantalis, teres, tenuis, prorſus nudus, prope radicem ſolummodo planta hac folia protrudente in canaliculatis pediculis laciniata, breuiora cæteris duabus iam poſitis ſpeciebus ac tenuiora. In ſummo caulis florem continet cæruleum in orbiculato capitulo ſucciſæ ſimili, ex cuius ambitu exterius breuiora quædã ac tenuiora progrediuntur ſurſum porrecta adnata in brachiolorum exiguorum modum, ſemel geniculata ac bina ad geniculum exaduerſo locata foliola, continentia, in quorum cuiuslibet ſummo aliud ac breuius florum emergit capitulum conglobatum ac cæruleum. Locis autem prodit aridioribus in collibus apricis ac meridionalem ſolem excipientibus.

X. *Eſt & altera Scabioſæ tenuifoliæ ſpecies*, quam folioſam nominare poterimus, propterea quod coliculus qui ipſi dodrantalis eſt, ac geniculatus à radice vſq; in ſummũ cacumen foliis in frequen-

frequentes, tenues ac fæniculaceas lacinias diuulſis, elegantèr exornatur, quorũ ad quodlibet geniculum bina ex oppoſito ſibi correſpondent. Flos huic eſt in globum collectus, cæruleus. Huius autẽ libuit hic meminiſſe obiter, licet, quod ſciam, in Harcynia ipſam nondũ repererim. attamen in vicinis montibus non raro ſeſe conſpiciendã ea offert: nec dubito admodum in ipſa Harcynia alicubi eam quoq; exiſtere.

Sanicula, paſſim.

Serpillum, paſſim.

Serpillum floribus candidis, ſed rarius.

Serpillum citrum olens, aliquando reperi in Haynfeldo.

Stœchas citrina: locis quibuſdam & collibus ac marginibus aſperis, arboribus deſtitutis & apricis.

Sambucus vulgaris, circa loca habitata.

Sambucus aquatica, ſeu Lycoſtaphylos fœmina Cordi. Copioſa paſſim potiſſimum Ilfeldæ: Stolbergæ, Gerenrodæ & c. ad ripas fluminum & locis pleriſque montanis humidioribus.

Sambucus montana ſeu ἐρυθροσάφυλος, *aut* φοινικοσάφυλος, Sambucus racemoſa Anglorũ, ac Sambucus ceruina Tragi. Copioſa hæc eſt circa Stolbergam & Honſtenium, præſertim locis montanis, apricis ac humectis nonnihil vel felici ſolo præditis. Itẽ circa Ilfeldam. Eius folia hic vetulæ collecta ignaris pro Ebuli foliis obtrudunt, diuenduntque, ſicuti & vulgo iſtam Sambucum Attich / nomine Ebuli appellitare ſolent.

Scorodonia ſeu Scordium montanũ Cordi, Sphacelus Dodonæi. Prouenit Vuernigerodæ prope arcem: Apud Cordũ libro 1. pro hac ſtirpe falſò ponitur icon Vrticæ Heracleæ Tragi, ſicuti & in adiecto ibi Scholio error admiſſus eſt in nomine Odi, quod & alias aliquoties iſtis in Cordi de ſtirpium hiſtoria libris factum eſt. Nam pro Odo ſemper Cordus eſt legendus. Scholia autem illa ſubiuncta, vt hoc obiter annotẽ, quæ præfixa ſtellula notantur, Aemylij ſunt ab ipſo ſubſcripta in

auto-

autographo. Atqui quoties Cordi nomen Aemylius scribebat, veluti priores tres litteras abbreuiaturus, cordis humani effigiem pingebat. Hoc cum ignoraret illequi autographum in exemplum prælo typographico committendum descripsit, accidit vt perperam Odum legerit transcripseritque.

Salix nigra seu rubens, **rot Weiden**/ passim in conuallibus vliginosis.

Salix Sabina seu Amerina, virgis gracilibus & rutilis.

Salix Platyphyllos. Hæc plurimis in montibus reperitur, etiam quandoque non adeo humidis, ac proceræ admodum arboris frequenter magnitudinem consequitur. Folia ei sunt vnciarum trium longitudine, sescuntiali autem latitudine, nõnihil rotundiora, mucronata, sed non ita oblonga, vt reliquarum specierum folia, superne nigricantia, inferne cinerea: iulos profert duarum vnciarum longitudine, densa lanugine non vndiquaque obuolutos, vt in cæteris speciebus cõtingit, sed veluti racemulos quosdam capitulis paruis dense consitos, repræsentantes: quibus initio veris dehiscentibus, erumpunt flocculi lanæ tenuissimæ, mollissimæ ac candidissimæ instar, modo ferè consimili, quo lana effunditur ex dehiscentibus capitulis Populi nigræ. Huius speciei alia est, minor quippe, foliola continens breuiora, vncialia, nigriora superne, canescentia itidem inferne: cæteris omnibus priori similis.

Salix platyphyllos rursus alia, etiam rotundiore folio, iulo breuiori cæterarum communiumque specierum iulis simili: salicis nimirum quartum genus Tragi, quod ipse **Seilweiden** vocat.

Satyrium recentiorum Græcorum iuxta Dodonæum mas, alias Palma Christi, Serapias mas Anglis, Orchis autem fœmina Tragi. Atqui Satyrij huius maris cuius videlicet folia maculis destituuntur, diuersæ aliquot differentiæ in Harcynia occurrunt, quæ sub duobus præcipue generibus comprehendi poterunt,

terunt, quorum alterũ sit latifolium, alterum angustifoliũ. Primi itaq; generis, hoc est latifolij species prior radicib. cernitur crassis, binis, densis, diuisis inferius in aliquot portiunculas oblongiores, veluti manus aliqua in digitos: caule cubitali, digiti ferè crassitudine: in oblongiori spica seu thyrso flores punicantes exhibẽs: folia in hoc paulo latiora caulem obuestiunt, quincuntiali quandoque longitudine, trientali vero latitudine. Huius altera species seu media omnia minora est sortita, suntque ei folia vnciarum quatuor longitudine, sescuntiali autem latitudine. Tertia seu minor, radicibus est minoribus multo: coliculo tenero, dodrantali: spica breui, foliis vncias tres longis, vnam latis.

Alterũ porro genus est *Satyrium basilicum mas tenuifolium*, quoditidem triplex est. Maior enim eius species radicibus constat priori genere paulo minoribus, ac in oblongiores portiones diuisis: caule cubitali, tereti, leui, triticei calami crassitudine, qui spica florum purpurascente breuiori illustris est, ac folia depromit longiora multo prioribus speciebus, sed strictiora, septem sæpe vnciarum longitudine, vnius latitudine. Media radicibus maiori est consimilis, crassiori autem caule, ac longiori spica prædito, foliis quoq; eiusdem longitudinis, sed paulo strictioribus, ac non ita explicatis, sed potius carinatis. Tertia etiam nonnunquam in hoc genere, sed rarius reperitur species, minor videlicet, radicibus nempe multo minoribus & diuisuris earum tenerioribus, caulibus item breuioribus, foliis vero eiusdem lõgitudinis cum specie iam tradita, eodemque modo imbricatis, sed multo strictioribus, spica paulo rariori.

Satyrium fœmina folijs maculatis, passim.

Symphytum petræum meum, sed non verum Dioscoridis. Duplex hoc est: Maius radice nititur profunda, pedali, longioriq;, digitali crassitudine vtplurimum, sæpe etiam in planta anno-

siore, pollicari amplioriq́ue, forinsecus cortice instar tenuis alicuius ἐπιδερμίδος, sufflauescente obuestita, sub quo candida substantia detinetur cor lignosum in medio continens, saporis vbi recens euellitur dulciusculi primum, deinde astringētis cum amaricie quadam feruidiuscula diutiusq́; perdurante. Hæcque radix diuturniori masticatione multum pituitæ in ore prolicit. In superficie terræ ex nodoso capite densior foliorum oblongiusculorum & strictorum pinguiusculorumq́ue cespes emergit, ex quorum medio prorumpunt coliculi dodrante altiores, recti, teretes, læues, tenues, geniculati, folijs ad genicula cōsimilibus ijs quæ prope radicē sunt, exculti, in summo parum brachiati, ac vmbellatis corymbis conspicui, qui exiguis ex capitulis flosculos tenellos candidulos exerunt, muscosos, eleganti spectaculo oculos aspiciētium inuitantes, dum flosculi illi veluti pūctulis quibusdam variegati visuntur. Odorati stirps hæc nihil continet. Folia eius dulcedinis illius, quæ radici subest, expertia sunt. Nascitur montibus apricis ac calcaribus. Vnde cum intereiusmodi saxa progrediatur, symphyti petræi nomine eā habui, non tamen istius quam Dioscorides describit, veruntamē aliquo modo non admodum absimilem à Petræi Matthioli icone. Nam licet quasdam Dioscoridis Symphyti notas obtineat, non tamen omnes exprimit. Sin autem displicuerit huic stirpi Symphyti nomen me ascripsisse, vocetur interim ficto vocabulo γυψόφυλλον, ratione natiui soli sui, donec repertus fuerit Mercurius aliquis, qui eius meliorem denominationem edoceat. Atqui planta hæc in ipsis Harcynicis montibus (quantum mihi hactenus constat) non reperitur, sed tamen in finitimis eiq; ex propinquo adiacētibus ad meridiem præcipue, vtpote in veteri Stolbergo & montibus Franckenhusanis. Feci vero eius hic mentionem propter sequentem alteram ipsius speciem, quæ Harcyniam incolit.

Illa

Illa itaque secunda ac minor nostri Symphyti petræi, seu γυψόφυτον minus (si potius hoc nomine ipsam nuncupare velimus) radice firmatur saxa calcaria profundius sed non recta penetrante, adeoque arcte illa circumplexa, vt terræ nihil circa se vtplurimum obtineat, pedali, calami hordeacei crassitie, cortice forinsecus ex obscuro rubro flauente circumdata, saporis astringentis: ex cuius capite fruticescentis veluti cuiusdam sarmenta tenuia ac lignosa supereminent, à quibus folia prædictæ speciei minora progrediuntur, plurima itidem numero, strictiora, viridiora ac teneriora. Existis vero sarmentis crebriores prosiliunt coliculi, admodum tenelli exileq́;, teretes, palmares, rubicundiusculi, frequētius quam superioris geniculati, binis ad quodlibet geniculum foliolis oblongiusculis ijs quæ prope terram sunt similibus, constitutis. In cacumine porro coliculi in breuiusculos petiolos distenduntur, ex quibus florum in cādido leniter subrubentium corymbi rarius dispersi, emicant, priori speciei similes, sed ferè elegantiores. In capitulis rotundis Coriandro similibus semina continet quædam parua, flauescentia. Reperi hanc speciem ante annos aliquot in montibus calcarijs (qui subterraneis specub. cauernis ac antris prorsus cōcaui sunt, quasiq; concamerati, inq; quibus dæmoniorum illud genus, quod nanos vocant, antiqua superstitio habitasse refert: vnde vulgo adhuc hodie ista montana loca Cauernæ nanorum nuncupantur) prope Vualckenridam monasterium, vbi eius integram radicem licet adhibito chalybeo rhizotomo diligenter id conater, ex saxis istis eruere nō poteram. Ob quam causam forte dum nempe ita arcte saxis istis sine terræ vlla portiūcula innascitur, stirps ista nō immerito pro aliquo petræo Symphyto posset haberi, meo quidem iudicio, vel ipsius solummodo nominis occasione.

Sauina Tragi sylueſtris, seu Selago Pliniana, quam primam eius

ſpeciem facio, vtpote herbam Sauinæ ſimilem. Licet enim Selaginem ob ſibi nō admodum abſimiles plantas in ſpecies diſcernere; Copioſe in Broccenbergo.

Selaginis ſpecies altera (ſicuti eodem etiam nomine Georgius Aemilius olim herbam iſtam tandem cenſebat) Muſcus nempe terreſtris Tragi ac Matthioli, Lycopodion vero Dodonæi. Eius icon perperam pro Chamæpeuce aliqua ab Aemilio apud Cordū poſita eſt, propterea quod vera Cordi Chamæpeuce tum temporis ipſi viſa nondum fuiſſet, quam aliquot annis poſt, cum primum mihi notitia cum eo viro intercedere cœpiſſet, ei vt & alijs amicis copioſam ex Nariſcorū ſyluis miſi, cuius aliquot ſurculos ipſe mox Geſnero paulo ante eius obitum itidem tranſmittebat. Copioſa & hæc reperitur non ſolum in Broccēbergo, verum ēt in montib. circa Vuernigerodam, Anderſbergum, Stolbergam, alijſq;

Selago tertia, quæ elegans eſt planta, ex vnica radice dodrantales aliquot thyrſulos mediocris digiti craſſitudine, emittens rectos, prope radicem anguſtius ſibi cohærentes, ſuperius vero latius à ſe inuicem diſcedentes, vt ita cuiuſdam ſcopæ paruæ ſurſum verſæ quandam quaſi figuram præbeant, in ſummo plerunque diuaricatos, foliolis vndequaq; denſis, ſecundæ ſpeciei prorſus ſimilibus obueſtitos, viridibus. Hanc autem ſpeciem non vidi eiuſmodi erectis ac tenuibus petiolis iulos proferre, quales priores duæ ſpecies exhibent: licet nō dubitem poſſe ipſos fortè alicubi reperiri in hac ſtirpe loco aliquo vbi felicius prouenerit. Reperi autē ipſam ſolummodo enatam intra cauernas ſaxorum ipſorumue crepidines in Broccenbergo, à ſole parum illuſtratas.

Salſirora, ſeu ſponſa ſolis, aut Ros ſolis, vel Rorella, copioſe in muſco vdo Broccenbergo ac vicinorum montium. Dignum admiratione in hac puſilla & eleganti plantula, velutique ſtellæ alicuius iubare fulgenti ſub ſole, eſt, quod roſcidum illud

illud ac congenitum ipſi humidum in acetabulis foliorum ipſius contentum, extremis leniter digitis vbi attingatur, dū adhuc natali ſuo ſolo ipſa inhærens aut tamen confeſtim inde euulſa feruentes ſolis radios experitur (quod quam primū obſeruaſſem, poſtea ſæpius eius rei experientiam feci) mox veluti in exigua aliqua ac ſericea & candidiuſcula filamenta ipſum diducatur, quæ confeſtim concreta ita poſtea ſemper perdurant: quod in aridis plantulis, eo modo dū vegetæ adhuc eſſent, tractatis ac libris meis herbarijs agglutinatis, hactenus multis oſtendi ac etiamnum oſtendere poſſum.

Struthium herba lanaria aut fullonum: nō procul à Northuſa ad promontoria Harcynica.

Scorzonera tenuifolia lutea: itidem ad promontoriū quoddam non procul à Northuſa.

Quia autem huius Scorzoneræ nobis hîc mentio incidit, non incommodum fortè erit de Scorzoneris paucula veluti in tranſcurſu ſubijcere. Atqui varia varij hactenus de hoc ſtirpis genere ſtatuerunt. Initio, cū vſus eius in Hiſpania contra viperarum morſus innotuiſſet, Planta Hiſpanica nonnullis dici cœpit, quaſi in Hiſpania ſolummodo ſpontis ſuæ eſſet: deinde ex Hiſpanico idiomate Scorzoneræ nomenclatura ei acceſſit à facultate quapiam peculari qua ſpecifice exiſtimatur viperinis ictib. ſuccus huius ſtirpis præſentaneo auxilio eſſe. Plurimis autē in Germania locis reperitur quoque, montoſis præcipue. Differentias vero foliorū ratione & florum etiam euidenter obtinet, ita vt altera ſit latifolia altera anguſtifolia. Latifoliam (quæ fortaſſis & in ipſa Harcynia noſtra alicubi inueniri poterit) vidimus tantum flore luteo. Eaque quo ad radicis ſaporem, iterum duplex eſt. Nam altera quæ cōmunior eſt, ſaporem exhibet ſubdulcem, ac ita à Tragopogone nihil ferme diſtat, cuius etiā profecto aliqua ſpecies ipſa eſt. Altera radice conſtat valde amara (vtpote genti-

anæ alicuius instar) copiosoque lacteo succo turgente. Hæc reperitur tum alibi tum maxime in Foresta syluula Ienæ vrbi imminente, solo lapidosiori firmiorique, ac in prato præterea quodam humectiori & herboso agri Thuringici, iuxta pagũ Ritnorthusam, distantem sesquimilliaris spacio ab Erforda, inter nimirum irides tenuifolias copiose prosiliens, natali pinguiori: vbi propter saporem ab aliquibus ex vulgo pro Gentiana ostenditur: effodique ipsam non semel ibi præsentibus amicis nostris quibusdã cubiti longitudine. Cumq; γεροντοπώγωνι veterum, cui eandem, de stirpium historia præclare meritus Ruellius facit & Nicandri γέρα© πώγωνα, solũmodo differat à Tragopogone radicis amaricie: omnino in eam sententiam inducar, vt hanc Scorzoneræ speciem, cui videlicet radix amara est, censeam esse γεροντοπώγωνα antiquorum verum. Nec puto multum reclamare posse vnicam illam notam quod πογεροντοπώγων© folia describantur esse tenuiora Tragopogonis, cum è contra illa in hac Scorzonera nostra multo non infrequenter sint latiora, (ea nẽpe quæ radici sunt viciniora) & nonnihil sæpe breuiora. Facile enim contingere poterit, vt regionum & locorum ratione aut alterius in natura abdita causæ interdum quædam plantæ alibi latioribus folijs constent longioribusque, alibi strictioribus ac breuioribus. Videmus namque hoc in multis ita obuenire & quandoq; etiam colorem floris mutari, qui tamen ipsam speciem non mutat. Ita etenim Petasites & Prunella minoribus folijs & cãdidis florib. affatim reperiuntur circa Andersbergum, ac aliquibus in locis Harcyniæ nostræ alcea tenuifolia ferè tantum nascitur, vt è contra alijs latifolia, sicut suis locis id annotatum est. Eodem modo in Marchia veteri symphytum maius tenuifolium reperitur in fossis quibusdam stagnantibus caule longiori rectioriq;, vt sæpe vidimus. Præterea non vbiq; ac perpetuo latifolia vt dictum est nobis occurrit

currit nostra Scorzonera, sed & foliis longioribus ac strictioribus. Estq; & hæc tenuifolia Scorzonera itidem duplex. Altera namq; flore est luteo, eaq; radicem aut dulciusculam aut amaram nacta, pro natalium diuersitate: altera vero flore ex rubro subcæsio ac folijs priori multo tenuioribus angustioribusq;, coliculo sesqui dodrantali, radice amariuscula, quæ in collibus arenosis non infrequens est circa Quedlinburgum Saxoniæ vrbem ac cliuosis quibusdam areis & apricis inter vineas nonnullas, nõ procul ab Erfordo patria nostra, in Ericetis adhæc Marchiæ arenoso solo. Maiori porro antidotaria vieam, quæ amariori est radice, existimauerim esse præditam illam quæ dulci radice pronascitur. Verum hæc obiter hoc loco commonefacere, studiosisque rei herbariæ dijudicanda relinquere libuit.

Struthiopteris Cordi. Radice hæc cõstat crassissima tuberosaque, nõnihil fibrata, nigricante, cui circumcirca adnascuntur pediculi lõgi, cubitales, procerioresq;, ipsi radicis corpori squamatim quasi inhærentes vngue latiori, nigricante, longo vncias duas, semunciam lato, canaliculato parum, inferius tamen angustiori & adunco, qui eleganter exprimit figuram inferioris partis instrumenti istius ferrei pharmacopœorũ, spatulæ nomine ipsis appellati, quo nimirum materiæ ab ipsis dum medicamenta componuntur miscenturque agitari counirique solent. Reliqua deinde pars quæ vnguem mox subsequitur, canaliculata imbricatur cauitate profundius. Pediculi exteriores frequentibus costis foliosis exornantur, quarũ semp bina ad vtrũq; latus æqualiter sibi contraponuntur: suntq; foliola in hisce costis similia prorsus foliolis filicis fœminæ supra indicatæ. Ac istis exterioribus pediculis color est in flauo ruffescens, ipsiq; aliquantulum molliori materia constant. Interiores vero ex spadiceo subnigricant & crassiores

siores sunt, multoque ex solidiori materia compositi. Horũ ij qui cæteris sunt procceriores, inferiori loco absque costarũ adminiculo, foliolis istiusmodi ad latera obuestiuntur, qualia esse folia exteriorum pediculorum costis iam dixi: deinde vero post medium pediculi vsque in summum eius cacumen vtrinque costæ folioſæ frequentes sursum porrectæ in ipsis disponuntur breuiores, neruo per medium dorsi ipsarum extrinsecus protuberante, coloris spadicei, costis singulis interiori parte imbricatis: folioſa vero pars ad latera ipsarũ continua serie vtrinque crenantur, quemadmodũ folia Scolopendrij veri: illæque crenis angustioribus ita inciſæ particulæ eleganti (vt sic dicam) crispatura versus interiora recuruantur aut retorquentur, puluisculum istiusmodi etiam, qualis eidem est stirpi, dense ac arcte ipsis adhærentem, interius sibi includentes compræhendentesque: vnde figuram aliquam ista crispatura conuoluta hæc folia quasi pennarũ Struthiocamelorũ cum plumata ipsarũ in curuatione effigiare videntur. Cætera apud Cordum satis diligenter describuntur, qui ipse fatetur se integram plantam, vt quæ sibi nondũ tota visa esset, non adumbrare. Nascitur autem non solum Gorslariæ sed frequentissima est circa pagum Lutterdorfium in comitatu Honstenienſi distantem mille passus ab Andersbergo. Hyeme non viret, vt tamen Gesnerus apud Cordũ existimat, deceptus falsa opinione, qua putauit lonchitidem secundam seu asperam, quæ est Asplenion syluestre Tragi, eandem esse cum hac Cordi Struthiopteride, sicut & eius Icon ex Tragoperperam isti capiti apud Cordum præfigitur. Obseruaui autem diligenter stirpem hanc montes fastidire, & tantummodo in cõuallibus, ripis fluminum gaudere. Cumq; eius plantam Stolbergam translatam horto montano iuxta stillicidiũ loco vmbrosiore & humentiore committerem, feliciter quidem post hyemem renascebatur, sed exteriora tantum folia profe-

ferebat, interiorum nerudimentum quidẽ edens, moxq; media æstate emarcescebat, vnde prorsus eam perijsse putabam. Atqui cum post proximam hyemem denuo repullularet eleganter, ipsam ex horto montano in alium locum trãstuli iuxta puteum, ita tamen vt ei proxime adiacuerit saxum excauatum amplum (quod aquas præsertim pluuias ad irrigationem mearũ stirpium colligere solebat) semper aquis plenum. Hûc transposita ista mea filix quasi locum sibi conuenientiorem post priorem transplantationem iterum nacta hac æstate non solum exteriora produxit folia, sed & interiora quoq;, quæ Struthionum pennis Cordus contulit. Vnde operæ precium fecerit is, qui Struthiopteridem veram Cordi horto suo ex natali solo traductam fouere voluerit, si commodum ei locum selegerit cui aqua sit in propinquo. Cæterum male in subiecto capiti de Struthiopteride scholio Cordus castigatur, quasi confinxerit dictionem ex Latino & Græco vocabulo contra eruditiorum consuetudinem. Cum enim nõ solum στρουθοκάμηλος sed & στρουθιοκάμηλος rectè Græce pro Struthione aue dicatur, dictione composita, vt apud authores reperire licet: quare non etiam recte Cordus, vtpote vir Græcæ linguæ non triuialiter peritus nomen στρουθιοπτέριδος ex meris Græcis vocibus construxisse putaretur?

T.

THALICTRVM nigrum Cordi, alias Saxifraga lutea. In pratis quibusdam circa Stolbergam & Ilfeldam.

Thalictrum Dodonæi, seu Sophia, Welsamen / aut Seriphium Tragi. Recte hoc Gesnerus propter saporem Nasturtijs annumerat in hortis Germaniæ, vnde forte nasturtiũ μικρόφυλλον à multitudine tenellorũ foliorũ dici poterit. Circa loca habitata.

Tragopogon luteus communis, quandoq; ad semitas & in pratis.

Taxus in montibus calcarijs prope Vualckenridam.

Thlaſpeos generibus cognata planta præſertim quoad folia, ſiliquifera. Radix ei eſt parua, diuiſa, lignoſa, candida: in cuius ſummo folia prodeunt carnoſa, aſpera, vncias duas longa, ſemiſſem lata, in ambitu veluti leniter exciſa ſeu præroſa, in mucronem obtuſum deſinentia: ex medio horum exurgunt coliculi teretes, dodrantales, aſperi, folijs minoribus quam fuerunt priora & Cardamoidi Cordi Thlaſpei ſimilioribus, non tamen ita mucronatis, per continua interualla circumcirca obueſtiti, in cacumine coma racemoſa floſculis paruulis, candidulis, leucoij ſimilibus plena nutante, qua pereunte oblongæ ſiliquæ ſubſequuntur ſemine paruo Naſturtij alicuius inſtar, prægnantes. Hæc aliquomodo congruit (non tamen in omnibus) cum illa Anglorũ Prouinciali planta, quam inter Sinapi & Thlaſpi mediam faciunt.

Thlaſpi Matthioli tertium, radice ſcilicet candida, craſſa: folijs leuiter coij ſatiui, cinereis: caulibus rotundis, ſcabris: florum corymbis albis: ſeminibus in mucronatis, cinereis, & veluti inflatis veſiculis ſimilibus capitulis Camelinæ. In locis aridioribus. [Paſſim quoque naſcitur apud nos hoc Thlaſpi, ſed videtur parum congruere cum Matthioli pictura III. Thlaſpeos, quod in ſaxoſis naſci ipſemet aſſerit: hoc vero nunquã eiuſmodi locis inueni, ſed potius circa ſepes & alibi ſtrigoſo gramine obductis areis. Ideo in noſtra editione, omiſſa Matthioli ſaxatilis Thlaſpeos icone, aliam ſubſtituimus ex ipſa plantula depictam, quã antehac nemo, vt arbitror, exhibuit, donec Matthiolæũ illud Thlaſpi nobis quoq; innoteſceret.]

Thlaſpios minima ſpecies, quæ radice conſtat tenui, ſuperuacanea, foliola in ſuperficie terræ reclinata habens, parua, acuminata, in ambitu leuiuſcularum inciſionum impreſſiones admittentia, aſpera, ac nonnihil hiſpida: coliculos vero digitali lõgitudine aut nonnũquam palmares ſingulares vt plurimum, teneros,

teneros, paucis foliolis donatos: ac breui candidorum floſculorum corymbo, capitulis item priori ſpeciei ſimilibus, quibus includũtur ſemina exigua, rubẽtia, plurima. Oritur mox veris initio in collibus aridioribus & ſaxis item. Sæpeq; adeo plantula hæc puſilla eſt, vt tota eius proceritas vix vnciæ longitudinem excedat. Conuenit hæc folijs præſertim, vt & floribus, prorſus cũ piloſella ſiliquata noſtra minori, cuius ſuperius meminimus, hoc ſolummodo ab ea diuerſa, quod illa in ſiliculis ſemina ꝓferat, hæc vero in turgidulis mucronatiſq; capitulis. Ideoq; vtranq; cognoſcere cupienti diligentius ad vtranq; attendendum erit, ne alteram pro altera accipiat.

Tilia ſylueſtris ſeu montana: circa Ilfeldam ac Stolbergam.

Tuſsilago, paſſim.

Trichomanes nigrum, vulgare videlicet illud, quod communiter Saxifragiam rubram vocant: id nigrum appello propter ſequentis differentiam.

Trichomanes candidum, exigua tenellaq́ue admodum plantula, trichomani nigro ſimilis coliculo, qui ipſi breuior candidiorq́; eſt, & folijs etiam, quæ candidiora itidem obtinet, teneriora, molliora, & quaſi rudimentum quoddam ſemiperfectum trichomanis teneritudine ſua referentia, quod videlicet à natura nondum ſit in perfectæ ſtirpis κατάστασιν plene traductum. Naſcitur hoc in vliginoſo muſco paſſim, facileq́ue diligentius ſingula perſcrutanti obuium eſt.

Trifolium acetoſum, ὀξυτρίφυλλον. paſſim locis humidioribus & ad radices arborum antiquarum.

Trifolium pratenſe vulgare, Fleiſchblumen/Klee/ alterum flore rubro, alterum flore candido.

Trifolium aliud montanum, etiam ſatis vulgare, folijs oblongiorib. acute mucronatis. Hoc duplex eſt. Maius, q̃ cauliculos erigit dodrãtales, folia cõtinentes in oblongiorib. pediculis tria ſimul cohærẽtia, vnciarum trium ſæpe longitudine mucronata,

cronata, in ambitu neruulorum suorum extremitatibus eleganter veluti striata, florem purpureũ in oblongiori quasiq; spicato capitulo. Diuersum ab hac specie non admodum est trifolium spicatum, quod à Trago pro Cythiso habetur, cui folia multo longiora sunt, & spicata florum series quoque prolixior, qua saltem nota distingui potest à priori. Prouenit vero auff der Langen.

Minus breuioribus cõstat coliculis & folijs & capitulis etiam, estq; flore quandoq; purpureo, quandoq; candido. Proueniunt omnia vtplurimum in montibus apricis, nonnunquam etiam in pratis.

Trifolium luteum primum, capitulo scilicet breuiori. Duplex hoc est: Maius enim coliculos profert dodrante maiores, folia paulo maiora, rotundioraq;, florum luteorum capitulũ breue, post quod semina racematim exhibet in rotundioribus paruisque vtriculis.

Est vero hoc Melilotus minor Tragi, ac Lotus syluestris minor Dodonæi. Minus suffruticans ferme est, viticulis multis, exiguis, gracilibus & striatis in terra direptans, quosdam etiam dodrantali altitudine erigens, folijs breuioribus, humani Cordis ferè (qua nempe figura vulgo pingi solet) aliquam similitudinem exprimentibus, ac pulchre suis neruulis striatis. Capitulis florum & racemis seminum ijsdem est cum priori. Reperitur in pratis aridioribus, marginibus, ac secus vias. Videtur autem trifolium luteum minimum Anglorum, aut idem cum hoc esse, aut tamen eiusdem generis.

Trifolium luteum alterum lupulinum, quod sic denominari poterit à capitulo florum, fructum lupuli imitante, vnde & vulgo lupulus syluaticus nominatur. Assurgit coliculis vitigineis, lentis, dodrantalibus, folijs pratensis Trifolij minoribus: flores in capitulo squamatim compactili, luteo exhibet,

exhibet, lupuli salictarij fructu, vt dixi, simili, sed minori.

Trifolium odoratum primum Dodonæi, seu Melilotus vulgaris, flore tam citrino, quam candido.

Trifolium corniculatum primum Dodonæi, D. Laurentio Hiel olim meliloti pentaphylli nomine dictũ, quod iuxta singulos trifoliati folij pediculos bina adhuc ad coliculum aut brachia stirpis eius foliola constituantur. Lotus vero syluestris maior Dodonæi in iconibus To. 11. ac Melilotus nobilis Tragi.

Trifolium corniculatum Dodonæi alterum, tertia Meliloti maioris species apud Tragum, coliculos folioso s emittens, cubitales: tenues: folia trifolij sed angustiora: flores luteos paruos in conferta veluti breuioriq; spica: siliquas cornu modo incuruas, vnciales ferè.

Trifolium palustre, seu Trifolium Castoris, Isopyron Dodonæo, alias à Cordo olim amicis in suis herbationibus pro Limonio vero exhibitum, quod nempe irriguis pratis & consimilibus locis gaudeat, à quibus Limonio suum apud Græcos nomen antiquitus obtigit. Hoc florigerum paucis ab hinc annis reperiebatur in Haynfeldo loco montano, pratensi, vliginoso, Stolbergæ vicino, sed floribus ipsis absque seminibus euanescentibus vna cum suo coliculo, cui insederãt. Ipsum præterea sterile prorsus absque videlicet semine & flore in quodam prato non procul à Vuernigeroda reperitur. Seminiferum rursus copiose conspicitur absque floribus circa pagum Dectingerodam, non admodum multum distantem à Vuernigeroda. Tragus idem Limonij pratensis nomine describit, sed apparet ipsum incidisse in locum vbi stirps hæc florifera quidem fuerit, sed floribus eius absque fructu intercidentibus, vnde ipse existimauit nullum herbæ huius fructum prorsus esse.

Tanacetum citrinum, locis pluribus apricis, cliuosis, in conuallibꝰ itẽ quibusdã et secus fluuios, non procul à locis inhabitatis.

Tanacetum album seu ἄοσμον, quo ad caules & folia citrino prorsus simile, in floribus autem dissimile, quos videlicet exhibet satis magnos, bellidis syluestris floribus in omnibus respondentes, eodem nimirum modo forinsecus orbiculatim, capitulum luteum intus constitutum rotundiusculeq; protuberans, foliis oblongis, candidis circumambientibus. Passim locis cæduis ac alijs locis apricis montanis.

Tormentilla, passim.

Tithymali quoddam genus, caulibus folioſis, simplicibus, non brachiatis seu Tithymalus σκιόφυλλος, quod sic nominare soleo, cum alio peculiari conuenientioriq; nomine ipsum hactenus vel denominatum vel descriptum ab aliquo, nesciam, quia vt iam dicetur, foliola mire punctellis notata continet. Duplex hoc est. Maius caules emittit ex vna radice forinsecus rubente multifida, plures, sesquipalmares, teretes, cauos, glabros, cacuminibus suis desuper nutantes aut recuruos, foliolis oblongiusculis per interualla continua circumcirca eosdem ambientibus, lenticulæ ferè figura, crassis, coloris sufflaui, asperis parte inferiori ob crocata punctella, quæ plura instar macularum vel potius stigmatum exiguorum protuberantia leuiter, ibi continentur, superiori vero læuiore, viridi. Nascitur in apricis asperisque locis, itē circa prata quædā aridiora ac semitas etiam nonnunquam. Minor coliculos obtinet teneriores, breuiores, palmares nimirum, foliola itidem multo minora ac tenuiora, sextulam dimidiam non multum latitudine excedentia.

Tithymalus cyparissias passim.

Tithymalus leptophyllus Matthioli, plantula videlicet fruticosa, radice parua, distorta, lignosa, inutili ferè: caulibus palmaribus, plurimis, brachiatis, & late nonnunquam diffusis: foliolis numerosis, oblongis, quorum inferiora lenticulæ similiora sunt, superiora autem ex paulo latiori veluti basi, (qua nempe

nempe coliculis & ramulis ipsa appenduntur) incipiunt, & in tenuem acutumq; mucronem paulo longiuscule diducuntur: semine in capitulis triquetris, paruis, oblongiusculo, grisco, papaueris candidi seminibus maiori. Ob exiguam quandam cum lenticulæ folijs similitudinem quibusdam rei herbariæ indagatoribus hoc genus pro Chamæsyce habetur. Attamen cum eius foliola à terra attollantur, & suis mucronibus sæpe sursum erigantur, ramulos etiam non in terrā deiectos, hæc stirps habeat, & prætera flores producat, chamæsyce esse nequit. Nec etiam Peplis esse poterit, quod cum Peplis foliis nihil similitudinis obtineat. Prouenit circa loca habitata. Est vero Esula exigua apud Tragum ac eidem putatur esse peplus.

Tithymalus helioscopius Dodonæi. Sed rarior, caulibus dodrante altioribus, mucronatis, non crenatis, sescuntiali longitudine, vncialique fere latitudine.

Tithymalus dendroides Dodonæi, Trago Esulæ tertia species, Esula vulgaris ipsi dicta ac Helioscopius existimata, sicuti & Matthiolo quoq; ac Anglis: foliis rotundioribus, in ambitu crenatis, quorum quinque circa summum cauliculorum ac brachiolorum cohærent sibi quasi connexa vnguibus, ac in orbem explicantur, ex quorum medio deinceps aliquot pediculi prodeunt itidem consimilia folia quinq; vel quatuor vel tria in fastigio suo collocata habentes, exq; horū centro denuo exigui pediculi & tenues prosiliunt, tres vt plurimum flores luteos, foliaceos continentes. (Dodonæus in vetusta Iconum editione Dendroidis loco hunc Tithymalum depinxit, quam postea mutata sententia rectius vna cū plerisq; eruditioribus Helioscopium nominauit.)

Tithymali Characiæ species radice rubicundo cortice obuestita: caulib. vitigineis, flexibilib. ac procumbentib. foliis Amygdalinis, rubētib. sextātē lōgis, sescūtiā vero latis: ex alis foliorum

rum longiuſculos, tenelloſq; ac flexiles pediculos emittens, in quibus peltata ac concaua folia cõſtituuntur, inter quæin exiguis petiolis flores lutei primo vere eleganter conſpicui prodeunt. Hunc Characiã Anglici ac Francici nomine recenſent Angli doctiſſimi in ſua Aduerſaria.

Huic conſimilis quodammodo alia ſpecies, radice tenui tranſuerſali, modice cirrata, inutili: coliculis dodrantalibus, procumbentibus, tenuibus admodum flexibilibus, qui in ſummo folijs obueſtiuntur priori multo breuiorib. vncias duas longis ac minoribus etiam, vnam vero vix latis. Florere hanc ſpeciem non vidi: ac rarior eſt inuentu. Reperitur autem nonnunquam in montibus non procul ab Oſteroda vrbe.

Alia rurſus huic generi quodammodo conſimilis ſpecies, caulibus rectis, dodrantalibus, qui paucis folijs donãtur, ſextantali longitudine, vnciali latitudine, quibus conſimilia in ſummo quinque alia vnguiculis ſibi cohærentia in orbem explicantur, ex quorum medio petioli ſex erumpunt breues, minoribus exornati foliolis, ſub quibus ſemina in vaſculis triquetris contineri poſteaquam defloruit, non dubito, quãuis cum flore mihi herba hæc viſa non ſit. Iiſdem montibus cum priori gaudet, rariſſima & ipſa inuenitur.

Tota bona Dodonæi, ſeu Bonus Henricus, herba videlicet ex Atriplicum ac Rumicum generibus intermedij quid obtinens.

V.

VALERIANA *ſylueſtris maior*. Copioſa montibus opacis & locis humidioribus ac ſecus riuulos, Quandoque hæc ſolo feliciori reperitur folijs latioribus.

Valeriana minor ſeu paluſtris, ad riuulos quoſdam & circa fonticulos naſcens, aliaq; loca ſcaturientia ac vliginoſa.

Verbaſcum

Verbaſcum nigrum latifolium, folijs amplis, nigricantibus, aliquãtum procumbentibus, ſcabris, thyrſo oblongo, floribus ex citrino purpuraſcentibus referto, paſſim. Alia huius ſpecies, flores ex flauo candidulos obtinens, frequens in montibus quibuſdam circa Gerenrodam verſus meridiem ſitis. Reperi & alibi hoc genus ad Harcyniam flore prorſus candido.

Verbaſcum album mas, ſeu Candela regia dicta, aut Thaſpus barbatus.

Vincetoxicum, in montibus apricis, ſoliq́; expoſitis, circa Vuernigerodam & Gerenrodam potiſſimum.

Vitis Idæa nigra maior, frutex ſarmentoſus, folijs buxeis, fructu maiori, quam ſequens ſpecies, dulcis vinoſiq́; ſaporis. Plurima reperitur in Broccenbergo.

Vitis Idæa minor, paſſim: cuius nempe fructus vulgo Myrtillos vocant. Vaccinia nigra Dodonæi.

Vitis Idæa rubra, ſeu Vaccinia rubra Dodonæi. Hanc ſtirpem olim Aemilius exiſtimabat eſſe Rhun Plinianum minorem. Vulgo apud nos Kränbeer vocant, Nariſcis vero Rote Preiſſelbeer dicitur, quorum ſyluæ hoc frutice refertiſſimæ ſunt. Copioſiſſima eſt circa Vuernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus: item circa Vualckenridam, Gerenrodam, alijſq; locis quampluribus.

Virga aurea. In hac planta ſolet natura varie ludere. Nonnunquã enim ei folia ſunt longiora, nonnunquam latiora, nonnunquam item breuiora: omnia tamẽ ſerrata & à ſe inuicem non multum diſtantia.

Eſt & alia virgæ aureæ ſpecies nigricans, communiori ſimilima omnino, iiſdem folijs, niſi quod ea nigriora ſint.

Virga aurea Broccenbergenſis, hæc breuiori eſt caule, folijs item paulo ſtrictioribus ac nigrioribus, alias tota facie Virgæ aureæ vulgari ſimilis.

Verbena, iuxta Gerenrodam.

Viola tricolor, seu sepicolor, vt etiã Gesnerus quandoq; appellat, alijs lacea sylueſtris dicta, seu Viola flammea. Spontanea est in monte quodam prope Ilfeldam & circa Stigam in agris.

Viola Martia sylueſtris. Hæc diuidi poterit in maiorem cui videlicet folia sunt maiora, & rotundiora: ac minorem, cui folia sunt mucronata, oblonga ac strictiora.

Viola calathiana seu autumnalis prima. Hæc non est ea cuius iconem Dodonæus exhibet: simplicioribus enim noſtra constat coliculis: floribus oblongis, cauis, hiantibus, calathi figura, in orifico in tenues lacinias ac subhispidas diuisis, cæruleis: radicula exigua inutili. Estq; Pneumonanthe Cordi. Apud quem autem non huius primæ speciei (quam ibi tamen autor cum sequenti τῇ πολυανθέμῳ noſtra mixtim describit) iconi ponitur, sed tertiæ, à Dodonæo, Anglis ac Matthiolo descriptæ, quam quidem in Harcynia nondum reperi, verum eam copiosam in quibusdã humidioribus pratis veteris Marchiæ ac in Vuageta seu vua vueyta sylua prope Erfordam sæpe vidi, in Hausbergo vero lenæ, vnde suam Cordus legit, nunquam: Veruntamen primam speciem creberrime. Ei radix est non lignosa, inutilis, semestris & tenuis, vt in sua Cordus requirit, adde & singularis, sed in plures appendiculas oblongas, mediocres, perennes, admodum Gentianæ modo amaras diuulsa, de qua exiliũt coliculi viticulares, singulares vt plurimũ, quãdoq; etiam plures ac brachiati, teretes, sesquicubitales interdum, geniculis interstincti, ex quibus prodeunt bina semper ex aduerso sibi opposita folia, oblonga oleæ folijs adsimilia, sed minora, sextantis ferè longitudine, semuncia autẽ paulo latiora, viridia, splendẽtia, glabra: floresq; ei sunt prioris speciei maiores, sed minus paulo hiantes, diuisi quidẽ verũ nõ in laciniatas particulas diuulsi, ex saturatiore autẽ cæruleo eleganter punicantes. Vocant hanc **gülden Aurin** in Marchia & præclaras ei vires in sanandis pulmonum affectionibus ac hepatis

patis etiam ascribunt. Hanc autem vt dixi in Harcynia nondum obseruaui: puto tamen alicubi in ea inueniri forte posse.

Viola calathiana altera seu πολυάνθεμος. Hæc constat radice lignosa, candida, inutili, varie distorta, parua: coliculis dodrante minoribus, sæpe sesquidodrantalibus, nonnihil angularis, sarmentosis, geniculatis, brachiatis, binis ex singulo geniculo folijs mucronatis, vnciali longitudine, ex cæsio nigricantibus.

Hæc species in summitate caulis ac brachiorum pediculos plures, oblongiusculos exerit (sicuti & ex alis foliorum, licet pauciores) quibus continentur flores caui, oblongiusculi, calathi figura, in laciniatas particulas disrupti superne, coloris ex pallidiore cæruleo subrubentis veluti leniter, odoris nauseosi seu virosi. Rarius flore prorsus candido sese offert. Est vero alioquin priori multo frequentior, passim locis cliuosis sub autumnum obuia.

Volubilis maior, Smilax læuis, ad sepes, & inter dumeta.

Volubilis minor: in locis aruensibus montanis.

Volubilis media seu nigra, Helxine cissampelos: frequentissima in syluis cæduis inter gramina luxurians.

Veronica mas floscŭlis subcæruleis passim, Eadem floribus candidis prorsus, sed infrequentior.

Veronica fœmina, locis vdis & alias solo pinguiori.

Vrtica maior passim. Minor iuxta loca habitabilia. Eadem caule cubitali & ampliori, brachiato, folijs paulo minoribus & nigrioribus, alias nihil differens.

Vrticæ fatuæ supra nomine Galeopsidis indicatæ.

Vrtica fatua sylueſtris aculeata, seu ἀκανθοπόνδυλος, *seu Lamium* ἀκανθοπόνδυλον *maius*. Caulibus assurgit quadratis, ramosis, hispidis, bicubitalibus, folijs hispidis, nigricantibus, mucronatis, trientali longitudine, quadrantali latitudine; reliqua minora

existunt sextantali longitudine, sesquintiali latitudine. In summo continentur verticilla longioribus aculeis horridiora, inter quæ emicant flores rubicundi. Altera minor est ijsdem folijs, paucioribus, breuioribus, verticillorum minoribus aculeis. Semen hisce est cannabino simile, non prorsus rotundum, ex protuberante ventre in mucronem desinens, fuscum, maculatum. [Cannabis syluestris Lobelij.]

Vrtica fœtida maxima πορφυράνδρεμος, Heraclea Tragi, caule bicubitali, quadrangulo, hispido, ramoso: foliis amplis, trientem longis, quadrantē latis, hirsutis. Verticilla in oblōgiore scapi ac brachiorum serie profert per interualla rariora, ex quibus flores purpurei emicant.

Vrtica fatua incana, Lamium incanum. Præcedenti simile est, foliis tamen nō ita amplis, pilosis, inferius incanis, densa & molli obuestitis lanugine: caulibus quadrangularibus, obliquis, procumbentibus, breuioribus, vnde & reptile ferè est locis asperis, apricis.

Vrtica fatua λευκόσικυος, radice densa, multifida, fibrosa: coliculis pluribus, quadratis, sesquipalmaribus, hispidulis, humi direptantibus, in terra facile comprehendentibus ac nouos surculos edentibus subinde: foliis rotundioribus, mucronatis tamen, sextantalibus ferè, serratis, quæ albis maculis frequēter insigniuntur. Qua de causa puto ipsam esse, quam Solenander in quodam consilio Lienariam seu Milzadellam vocat. Passim, locis cæduis potissimum ac alias etiam in syluis frequens inter coryleta.

Huic consimilis in omnibus species alia, foliis hirsutioribus.

Vrtica fatua aquatica. Lamium πολύμορφον aut πολύχροον. Caulibus assurgit quadratis, hirsutis, brachiatis, cauis: foliis mucronatis, vnciarum quatuor longitudine, duarum latitudine, hispidis: flores ex verticillis emittens versicolores, luteos maiori ex parte

ex parte & nonnihil rubicundi ac cærulei continentes, elegantes. Nascitur ad riuos, ad piscinas, in montibus opacioribus & alias, locis humidioribus. Forte idem est Lamium luteum Anglorum.

Viscum, in pomis syluestribus passim. In Corylis ac oxyacantha Matthioli rarius. Vidi & in iuglande, in horto monasterij Ilfeldensis.

Vlmus. prope Stolbergam.

X.

XANTHION *seu Lappa minor*, iuxta loca habitata.

Xylosteon Dodonæi, passim in montibus vmbrosis.

FINIS.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ім. І. І. МЕЧНИКОВА

IMPRESSVM FRANCO-
FVRTI AD MOENVM, APVD IO-
HANNEM FEYERABEND, IMPENSIS SI-
gismundi Feyerabendij, Heinrici Dackij,
& Petri Fischeri.



M. D. LXXXVIII.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА